UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Avrea Gemma Christianorvm

Ruben, Leonhard

Paderbornae, 1604

urn:nbn:de:hbz:466:1-68313

Visual Library

Hom. 120
f. 66.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AVREA GEMMA CHRISTIANORVM.

DIVINITATIS ET HVMANITATIS IESV CHRISTI FIGVRAS, PROPHETIAS, & Euangelicas veritates libris septem continens.

OPVS OMNIBVS CHRISTIANIS ET præcipue Concionatoribus vtilissimum.

AVCTORE

REVERENDO DOMINO LEONARDO RVBENO Benedictino SS. Theol. Licentiato, Monasterij SS. Petri & Pauli Abdinckhouensis in ciuitate Paderbornensi Abbate.

1. Corinth. 2.

Non iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi IESVM CHRISTVM, *& hunc crucifixum.*

PADERBORNAE,
Ex typis & Officina Matthæi Pontani.

ANNO M. DC. IIII.

FRANZISKANER-KLOSTER BIELEFELD

Ex Bibliotheca Bettelbaensi F. F. Minorum de observantiâ.

Hanc auream Christianorum gemmam libros septem de Christo IESV *complectentem, Venerabilis & doctissimi, deuoti nobis, & dilecti* LEONARDI RVBENI. *SS. Theologiæ Licentiati, & Abbatis nostri Monasterij Abdinckhouensis, & Vnionis Bursfeldensis Præsidentis, ad vtilitatem & salutem multarum animarum, nobis subditarum, iudicauimus Typis euulgandam esse.*

THEODORVS DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRAtia Episcopus Paderbornensis. S. R. Imperij Princeps.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO, D. BALTHASARI ABBATI ET PRINCIPI FVLDENSI D. Augustæ Archicancellario, per Germaniam & Galliam Primati, Domino ac Principi clementissimo.

INTER summa beneficia, Reuerendissime & Illustrissime Princeps, decus & ornamentum Ordinis nostri, qui à D. Benedicto nomen habemus, id semper retuli renunciasse seculo, & solius DEI, quem propter beneficia Optimum, propter vim verò Maximum nominamus, iucundissima contemplatione perfrui. Quibus enim hæc beatitas euenit, dicere possunt cum Dauide. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. Qua fruitione sic homo in Deum rapitur, vt contabescat videns quàm plurimos terrenarum rerum cupiditate irretitos, animum mentemq; à Deo summo bono abducere, & sese ad res ortui interituiq; obnoxias transferre. Sic zelauit Dauid super iniquos pacem peccatorum videns. Zelo, inquit Elias, zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israël: altaria tua Domine destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & dere-

Fruitio Dei

Psal. 76. 4.

zelus Dei.

Psa. 72. 3.

3. Reg. 19. 18

lictus sum ego solus, & quærunt animam meam. Sic Phinees filius Eleazari zelo zelatus est pro domo Dei, & expiauit scelus filiorum Israël, & accepit pactum & testamentum sacerdotij æterni. Sic Ieremias simili zelo incitatus. Obstupescite, inquit, cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Huiusmodi verò degeneres animos, gentem peccatricem, populum graui iniquitate, semina nequam, filios sceleratos, qui apud Isaiam, dereliquerunt Dominum & blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum ad deuia itinera, quorum nouissima inferno reseruantur, ad viam veritatis reuocare, & ex apertis luporum rapacium insidijs ereptam ouem perditam ad ouile reducere, & vero pastori consignare, maximi profectò est meriti apud eum, qui merces est nostra magna nimis. Hoc ipsum fulgor eorum, qui ad iustitiam erudierint multos, perpetua iustitiæ corona, supernæ vocationis brauium, & tandem cælestium spirituum congratulatio satis superq; edocet. Hæc animarum Deo lucrifaciendarum in Ecclesia Dei contentio, & pius conatus inter ceteros ordines ab anno Christi plùs minùs 530. reddidit ordinem & familiam

Num. 25. 13. *1. Mach.* 2. 26. 54.

Ier. 2. 12.

Animarum lucrum.

Gen. 15. 1.

Dan. 11. 3.

familiã nostrã sub regula D. Benedicti militãtem (quod pace & venia cæterorum pientissimorum Ordinum dixerim) in toto Occidente celebrem. Quo factum est, vt vsq; ad nostra tempora, vt probat R. D. Arnoldus Vion in ligno vitæ lib. 2. S. Patris nostri Benedicti, summi Pontifices, quibus Deus statuit sacerdotium magnum & beatificauit eos in gloria, numerati sint viginti quinq;. Ad proximam verò dignitatem & purpureum senatum, velut cardines orbis terræ & Ecclesiæ Catholicæ, adsciti monachi huius ordinis, Cardinales ducenti, Patriarchæ, Antiocheni vnus, Constantinopolitani quadraginta quatuor, Hierosolymitani quinq;, Gradensis vnus, Indiæ Occidentalis, de quo postea, vnus, qui faciunt quinquaginta duo, Archiepiscopi mille sexcenti, Episcopi vsq; ad concilium Constantiense ter mille quingenti duodecim. Demũ temporibus Ioannis Papæ XXII. ex annalibus summorum Pontificum & historijs veterum reperti sunt ab eodem Pontifice monachi nostri Ordinis Sanctorum catalogo inscripti quindecim millia quingenti quinquaginta nouem, præter eos, qui postmodum sunt in numerum eorum relati, & eos, quorum sanctitatis gloria soli Deo cognita. Numerus autem monasteriorum, exceptis Præposituris & Prioratibus & cœnobijs monialium vltra quindecim millia excreuerat.

Benedictini Ordinis celebritas.

Eccl. 45. 8.

Huius sacræ militiæ signifer, dux & facilè princeps D. Benedictus: ex antiquissima & celeberrrima (vnde & nostri Romani Imperatores & Hispaniarũ Rex generis & stirpis suæ seriem deducũt) Aniciorum familia. Qui cùm nobilissimum suum sanguinem, ieiunijs & abstinentijs, vigilijs & oratione à floridæ iuuentutis initijs, Deo & posteris reddidisset nobiliorem, animum adiecit ad Christianam fidem indies magis magisq; propagandam. Cùm enim duodecim Monasteria construxerat, diuino ad se facto oraculo duobus angelis comitantibus, Casinum ascendit. De quo ita D. Gregorius: Castrum quod Casinum dicitur in excelsi montis latere situm est, qui videlicet mons distento sinu, hoc idẽ castrum recipit, sed per tria millia passuum in altum se subrigens, velut ad aëra cacumen tẽdit, vbi vetustissimum phanum fuit, in quo ex antiquorum more gentilium à stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circumquaq; etiam in cultu dęmonum luci succreuerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificijs sacrilegis insudabat. Illuc itaq; vir Dei perueniens contriuit idõlum, subuertit aram, succendit lucos, atq; in ipso templo Apollinis, oraculum B. Martini. vbi verò ara Apollinis fuit, oraculũ S. Ioannis construxit, & commorãtem circumquaq; multitudinem prædicatione continua ad fidem

Benedictus.

l. 2. dialog. cap. 8.

dem vocabat. Hic tandem sanctitate plenus migrauit ad Dominum anno Christi 542. ætatis sexagesimo secundo, in vigilia Paschæ. Casinensis verò Monasterij laudes sic quidam vir religiosus carmine elegiaco complexus est.

Casßini laudes.

Hæc est illa domus montis veneranda Casini,
Vnde iter ad superos lactea plaga capit.
Hæc est illa domus, hæc est illa inclyta sedes,
Terra ingens, cælis proxima, grata Deo.
Hæc est illa domus, qua sanctior altera non est,
Angelici reparans agmina lapsa chori,
Humanæ speculum vitæ, virtutis alumna,
Hæc est mortales, quæ facit esse Deos.

Quem inter summos Romanos Pontifices ex Ordine nostro monachus, Gregorius ille, doctrina & vitæ sanctitate verè Magnus, non adumbratis, sed expressis virtutum maximarum signis & argumentis feliciter consecutus est: qui & D. Augustinum Ordinis nostri lumen cum quatuor socijs Roma ad lõgè disitam Anglorum nationem amandauit, vt prædicaret ante faciem Domini sacramentum pœnitentiæ omni populo. Hos infiniti alij secuti, qui in eo toti fuerunt, ne lucerna veri Euangelij sub scãno aut modio latitaret, sed radios sinceræ fidei vsquequaq; diffunderet, quorum non secus ac Apostolorum in primitiua Ecclesia sonus in omnem penè terram sese diffudit. Sic, vt ad Germaniam

Gregorius Magnus.

& Alemaniam noſtram veniamus, à Gregorio ſecundo Pontifice maximo, quem & noſtri ordinis fuiſſe tradidit D. Arnoldus Vion lib. 5. ligni vitæ, D. Bonifacius directus eſt, vt olim Ioſias Rex Iuda, diuinitus in pœnitentiã gentis, & tulit abominationes impietatis, & gubernauit ad Dominum cor eius, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem. Hic cùm monachum ageret Vvinifridi nomen habuit, dum verò in noſtræ gentis maioribus conuertendis inſignem operam poſuiſſet induſtrij, & fidem præſtitiſſet pij, & prudentiam adhibuiſſet doctiſsimi viri, tandem ob res benè & præclarè geſtas Bonifacij nomen apud omnes conſecutus eſt. Hic euulſis è cordibus Germanorum Gentilitatis execrandis ritibus, Chriſti in crucem acti radices altiùs in illorum mentibus ad ſempiternam viri ſanctiſsimi & Ordinis noſtri memoriam defixit. Dignus certè habitus, qui primus ſacram illam ſedis & Cathedræ Moguntinæ dignitatem, quæ Epiſcopalis priùs fuerat, Archiepiſcopali titulo, & infula, cruce, & pallio fulciret. Cui iam antehac emeritum eiuſdem Cathedralis Eccleſiæ Decanum Reuerendiſsimum & Illuſtriſsimum D. Suibertum à Cronenberg B. Bonifacij Succeſſorem, Antiſtitem, Archiepiſcopum & S. Romani imperij Electorem tota noſtra ſibi gratulatur, cum Reuerendiſsimo & Illuſtriſsimo Principe, Paderbor-

S. Bonifacius Archiepiſcopus & martyr. Eccleſ. 49. v. 2.

D. Suibertus à Cronenberg Archiep. Mo. Moguntinus

derbornensis Ecclesia. Hîc noster D. Bonifacius rebus feliciter constitutis, Turingis etiam & Hassis per eum ad fidem conuersis, Frisiam Orientalem petijt, vbi dum plurimum operis & sudoris collocat in fide Christi dilatanda anno 754. Nonis Iunij cum 52. socijs monachis Ordinis nostri, martyrij laurea decoratus, cuius venerandas reliquias Fuldensis Ecclesia, vt sanctissimum thesaurum continet. De quo sic Poëta:

D. Bonifacius martyrio afficitur

Quin se religio multum debere Britannis
Seruata & latè circum dispersa fatetur?
Quis nomẽ Vinifride tuũ, quis munera nescit?
Te duce Germanis pietas, sè vera fidesq;
Insinuans, cœpit ritus abolere prophanos.

Cuius mortem Alcuinus Anglus Doctor & monachus nostri Ordinis & Caroli Magni Imperatoris Magister præclaro carmine prosecutus est, apud D. Vion. Sic noster apud Francones D. Kilianus, Episcopus Herbipolensis gentem illam ad ouile Christi pertraxit, qui cùm à Geilana, altera Herodiade, quàm Gosbertus Franciæ Orientalis Dux fratris sui vxorem sibi sumpserat, diuortium Duci suaserat, per eam vna cum tribus monachis nostris trucidatus est. De quo Burchardus monachus Benedictinus & Episcopus Herbipolensis huiusmodi Epitaphium sepulchro eius adiunxit.

Ligni vitæ, lib. 3. D. Kilianus Episcopus & martyr.

Hi sunt Herbipolis, qui te docuere Magistri,
Qua verum coleres relligione Deum.
Impia, quos tandem iussit Geilana necari,
Cælauit q3 sub hunc corpora cæsa locum.
Ne turpi sine laude situ defossa iacerent
Corpora Burchardus sub monumenta locat.

Primi Ordinis in Germania Apostoli & Martyres.

Quin & S. Euualdus Benedictinæ professionis antiquæ Saxoniæ primus Apostolus, vt D. Lãbertus Taxandriæ, B. Stephanus Episcopus Sueuiæ & Helsingiæ. D. Vicepetrus Frisiorũ, S. Albo Vasconum. S. Adalbertus Bohemiæ, Vngariæ, Russiæ, Poloniæ, vt & Poloniæ S. Benedictus Episcopus. Hunnorum verò & Silanorum D. Bonifacius Episcopus: S. Gerardus Hungarorũ & Pannoniæ. S. Brunus Prussorum & Lituanorum. Qui omnes in album Benedictinæ familiæ conscripti dealbantes stolas suas, in sanguine Agni, venientesde magna tribulatione, palmam martyrij consecuti sunt. His adiungendi, qui martyrij corona non sunt donati. S. Augustinus Episcopus, Angliæ Apostolus, S. Chillenus Atrabatensium, S. Vvilibrordus regni Frisiæ, vt & S. Vulfrannus, S. Amandus Episcopus Brabantiæ, Flandriæ, Sclauorum & Vasconum. S. Vvilfridus Episcopus Hollandiæ, S. Villehodus Episcopus, Franconiæ Apostolus secundus, S. Cunibertus Episcopus Frisiorum, Hollandorum & Saxonum. S. Ansgarius Sueuorum, Gothorum, Danorum & Aquilonarium

Apoc. 7. 14.

Confessores

rum partium magnus Apostolus. S. Ludger Episcopus Frisonum Orientalium & Episcopus Monasterienſis. S. Vicelinus Episcopus Vvandalorum & Silanorũ. S. Lebuinus Episc. Trantiſelanorum, S. Vuimo Episcopus Aquilonarium, S. Otto Episcopus Pomeranorũ, & hi omnes Benedictini, & excepto S. Vulfrano, Episcopali titulo & dignitate insignes. Neq; hîc finem statuit charitas in Deũ & proximũ sanctiſsimi Ordinis nostri, & alios ad viã veritatis ac salutis reducendi, ardens desideriũ & studium. Non enim suffecerat hiſce nostræ religionis principibus & ducibus, Europam, Asiam & Africam peragrasse, inibiq; semina diuini verbi sparsisse, & in ijsdem fide, cum sanctis ceteris, quos D. Paulus in Epistola ad Hebræos recenset, in solitudinibus, montibus, speluncis & cauernis terræ oberrasse, ludibria, flagella, & verbera, insuper & vincula, carceres, compedes & manicas ferreas expertos fuisse, lapidibus obrutos, laqueo suffocatos, gladio dissectos, igne & flammis absumptos, & in cataſtis varijs ac exquisitiſsimis tormentorum generibus dilaniatos & excruciatos. Quid ergo? Vt DEVS indubitatis argumentis toti mundo proderet, quale & quàm insigne vas electionis esset cor Benedictinorum, & quam ingens locus possessionis eorum, & vt Gentes, quæ non nouerant Deum semen Diui *Heb.* 11.

Bene-

Benedicti hæreditaret, & ciuitates desertas inhabitaret, hîc noluit figi terminum legationis ipsorum, ne esset finis acquisitionis eorum. Eos ergo in primitias Indorum, ne laus hæc, quæ soli huic Ordini à Deo debebatur, vt inquit Arnoldus Vion, illi ab vllo Ordine Ecclesiastico præriperetur. Hinc D. Bueillus Benedictinæ familiæ monachus ab Alexandro VI. ob singularé vitæ sanctitatem, & admirabilem doctrinam, primus nouus noui orbis Apostolus apud Antipodas quam orbis plagam nemini harum nationum peruiam permulti arbitrabantur, electus, & Indiarum Archiepiscopus & Patriarcha & Vicarius summi Romani Pontificis Indię Occidentalis consecratus fuit. Hæc natio Indico nomine PERV & ab Americo Vesputio Florentino, qui quatuor nauigationibus eam aperuit, America quarta orbis pars apud Antipodas sita scribitur. D. ergo Bueillus adiunctis sibi duodecim sacerdotibus nostri Ordinis benedictione Pontificali percepta, anno 1493. 25. mensis Septembris ex Hispania in Indiam cum sacro Euangelij Thesauro opulentissimus mercator discessit, æternæ Sapientiæ indefessus & strenuus athleta, nec non iubar Indicum, vt dicere potuerit cum æterna Sapientia: Penetrabo omnes inferiores partes terræ & inspiciam omnes dormientes & illuminabo omnes sperantes in Domino. Felix ille cæterorum

Lib. 5. Ligni vitæ Benedictini mittũtur in Indiam quorum primus D. Bueillus.

America.

terorum pugilum Christi in India dux & princeps, qui primam glaciem fregit ijs, qui vel D. Dominici vel D. Franciſci gaudẽt inſtituto, aut Societatis IESV legibus diriguntur, & primos hos diuini Euangelij præcones inibi poſtmodum conſecuti. Magis ad eam legationem expediti, quam noui, & ante octoginta annos inauditi Euangelij præcones, quos vel vini, vel carnis, vel æris, aut nummorum inibi penuria, vel certè filiorum aut filiarum cura, ſocerum & generum frequens caterua, & legitimæ miſsionis demonſtratio, à tam vario & diuturno itinerum diſcrimine hactenus retardarunt. Teſtes huius primi Apoſtolatus ſunt ex præcipuis Petrus Cieza Legiouẽſis in ſecunda parte hiſtoriarum Indicarum, vulgò, de Peru inſcriptarum. Fumus in hiſtoria Gallica Indiarum Occidentalium, lib. 1. cap. 2. Gonſaluus Ferdinandus Ouetenſis in hiſtoria ſua noua generali noui orbis lib. 2. cap. 8. Verba recenſet Arnoldus Vion loco citato.

Hæreſes profligũtur in varijs nationibus à Benedictinis.

Quid iam dicam de ijs, qui hæreſes poſtmodum obortas per orbem terrarum quaſi mallei quidam contriuerunt? Sic S. Leander Epiſcopus, Viſigothos in Hiſpania ab Arrianiſmo ad fidem Catholicam reduxit. D. Paſchaſius Abbas de futuris circa ſacræ Euchariſtiæ ſacramentum hæreſibus ſcriptor, doctrinam ſuam quaſi Prophetiam effudit. D. Guido

do Abbas hæresin Berengariorum expugnauit. S. Katherius Antropomorphitarum hæresis extirpator extitit, & contra eandem scriptor. Sic *S.* Martinus Episcopus Dumensis Sueuos ab Arrianismo circa annum Domini 540. ad Ecclesiæ gremium reduxit. Ante quem & D. Remigius huius instituti ab ineunte ætate monachus, postea Remensis Archiepiscopus, annum circiter 530. Clodiueum Regem & totam Franciam ad Christianam fidem traduxit, qui & S. Leonardum sacro baptismatis fonte abluit. Quo etiam spectant scriptorum Ecclesiasticorum labores, in quorum albo post D. Gregorium Magnum & S. Bonifacium, & D. Rabanum, priùs Abbatem Fuldensem & postmodum quintum D. Bonifacij in Archiepiscopatu Moguntino Successorem, qui in omnes penè sacrorum Bibliorum libros doctissimè commentatus est. D. Anselmum Archiepiscopum pono, tum Venerabilem Bedam, præsbyterum toti orbi notum, Cassiodorum, qui deposita senatoria apud Romanos dignitate ad nostra castra concessit. Gregorium Turonensem, Alcuinum Caroli Magni & Rabani magistrum, Paulum diaconum, Petrũ Damianum, Rubertum Tuitiensem, Nicolaum Panormitanum, S. Burchardum, Gratianum, & similes de quibus varij scriptores Ecclesiastici.

Scriptores huius Ordinis

Inter

Inter doctiſsimos hos refero præclarum illum laborem Ioannis Niuicolenſis Abbatis qui Concordantiarum ſacrorum Bibliorum & Canonum primus eſt inuentor. Refero veſtræ Eccleſiæ Fuldenſis Ferculfum, Marianũ Scotum, Strabum & infinitos alios, quorum in Chriſti Eccleſiam ſtudium & laborem veſtra in tota Germania celeberrima teſtatur Bibliotheca. Inter quos Strabus egregium ſubſidium Theologis prębuit, dum Gloſſam quã vocant Ordinariam, poſteritati conſecrauit. Quorum multitudinem & varietatem quàm plurimi hiſtoriarum ſcriptores tradiderunt, inter quos antiquiores ſunt, Venerabilis Beda, Leo Oſtienſis, Petrus Diaconus, Philippus Bergomenſis, Faſciculus temporum, Vincentius Beluacenſis, & *S.* Antonius Archiepiſcopus Florentinus: Recentiores verò, D. Ioannes Tritemius Abbas, in omnibus ferè operibus ſuis, Petrus Meſsias Hiſpanus egregiam de Ordine Monaſtico Benedictino laudem promeritus, in libro ſuo de vitis Imperatorum, F. Ioannes Rioche in compendio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. D. Gilbertus Genebrardus in ſua Chronologia, & Hieronymus Platus Societatis IESV, de bono ſtatus Religioſi lib. 2. cap. 32. Et D. Arnoldus Viõ libro 2. de ligno vitæ.

Concordantiarum & Gloſſæ ordinariæ auctores.

Horum omnium Eccleſiæ & Ordinis luminum, non ſecùs ac à Regina Saba factum, cum

cum singulari pietate sapientiam, doctrinam & prudentiam admiratus obstupui, & vt eorundem exemplo in rem & gazophilacium Ecclesiæ Catholicæ, necnon Bibliothecas nostras nummulum aliquem talenti mihi concrediti conferrem, adlaboraui. Hinc cùm à festo S. Thomæ anno 1595. quo primum mihi monachi nomen (quibusdam inuisum, at viris sanctitate & doctrina conspicuis in tota Ecclesia celebre) in Ordine D. Benedicti ad Sanctum Martinum Coloniæ obtigit, in hoc totus fui, ne tempus id, quod absolutis diuinis officijs supereſt, inani & turpi otio consumerem. Rem ergo diuinæ bonitati commendans, in consultationem vocaui, & cum potissimis amicis, & non infimæ & eruditionis & auctoritatis in celeberrima Colonien sium Academia contuli, num gratum foret, in gratiam rudium concionarum breue quoddam compendium concionũ ab anno 1572. per me habitarum in lucem mitterem, vel num consultiùs foret, si opus aggrederer plenum vigiliarum, sudoris & laboris, Thesaurum puto Biblicum, ex quo Thesauro omnibus Theologis, tam ijs, quos vocant scholasticos, quàm positiuis & moralibus, ac demum Parochis, Pastoribus, & ouibus noua & vetera ex solis sacris literis, quæ ad rem facerent, proponerem. Quam rem cum vtilissimam fore Reipub. censuerunt, mul-

Auctor quãdo ingressus Ordinem

Occasio scribendi Thesauri Biblici.

multis apud diuinam bonitatem per me & mihi concreditos, certosq; amicos egi precibus, vt aqua sapientiæ potarer à fonte vitæ, quó & cum delectatione animæ rẽ hanc pientissimam conficerem, & corpus hoc quod aggrauat animam, & sensum sanctissima quæq; meditantem (vt in isto opere frequenti experientia didici) verbo diuino (quod solo pane fieri nequit) corroborarem.

Compendiũ Thesauri Biblici.

Primò itaq; omnium Coloniæ compendium huius Thesauri feliciter incepi, quo ordine Alphabetico causam omnẽ penè Theologicam, quæ ex sacris literis haberi potest, libris sacræ scripturæ, capitibus & versibus tantùm in quouis titulo annotatis complexus sum. Titulis verò aliquibus perfectis succisiuis horis eos ipsemet manu propria ad longum ex contextu Biblico scripsi. Verùm quia animaduerti posteriorem laborem non esse vnius hominis, qui sibi ne momentum quidem vitæ polliceri potest, ne quam moram paterer in Compendio Thesauri, duos adhibui religionis meæ confratres, qui quæ Compendio concipiebam, ad longum deducebãt, ad finem penè literæ A. quoad anno 1598. 28. Martij communibus omnium meorum hîc religiosorũ votis, & Venerabilis Annalis Capituli precibus, hanc hîc dignitatem sumere oportuit. In qua, quantum per otium licuit, sic in hoc negotio egi, vt 14. Februarij die S.

Valentini, anni 1604. demptis proprijs nominibus, cum diuina gratia feliciter opus id, in quantitate iusti in folio voluminis, perfecerim, non ego, sed gratia Dei mecum. Ceteri verò religiosi nostri cœnobij in Thesauro deducendo, ne otium, lerna & origo malorum, atq; adeò ipsius Satanç, vt cum D. Hieronymo loquar, puluinar, vllum in hoc monasterio locum haberet, diuinis officijs peractis, operam diligentem & alacrem mecum nauant, qui infra annum, vt spero, litteram P. in qua versamur, expedient. Vt verò Christianus Lector in aliquem amorem huius operis trahatur, & antequam totum opus id ad finem felicem describatur, corrigatur, & prælo subijciatur, ex litera C. vnicum titulum decerpsi de CHRISTO, cui merito potissimas partes & primitias huius Thesauri tribuo. In quo licet repererim quædam ab alijs etiam pijs auctoribus tradita, nihil tamẽ est, quod alij non inde, vnde & ego sumpsi, id est ex ipso sacrarum literarum diuino scrutinio, desumpserint. In hoc enim non affectato aut exquisito, sed simplici stylo nihil scimus, nisi IESVM CHRISTVM & hunc crucifixum, quem licet viuum secundò B. Maria Magdalena vnxisset, vita nihilominus functum inunxit cum Iosepho ab Arimathæa Nicodemus, adhibitis libris myrrhæ & aloës centum. Eundem in sepulchro conditum,

Ratio libri de Christo editi

Ioannis 19. 39.

summo

summo pretio comparatis aromatibus, & sa-
rè ijsdem, tres pientisimæ mulieres iterum
iterumq; condire voluerunt. Quis mihi det,
inquit, cornuta facie Moyses, vt omnis *Num. 11.*
populus prophetet? & vas electionis D. Pau- 29.
lus: Dum omni modo siue per occasionem
siue per veritatem Christus annuncietur, in *Phil. 1. 18.*
hoc gaudeo, sed & gaudebo.

Auream ergo hanc Christianorum Gem-
mam, quam ita ob dignitatem eius, de quo
agitur inscribere libuit, sub tui celeberrimi
nominis tutela typis subiectam, Reuerendis-
sime Domine, Princeps Illustrisime tibi con-
secrandam & dedicandam esse censui, pignus
perpetui in T. Celsitudinem amoris & obser-
uantiæ. Quo iure verò id fecerim, quaue ra-
tione de tali mihi patrono gratularer, multis
rationibus perstringerem, nisi & tibi non
vulgarium sed Heroicarum & maximarum
virtutum, laudes permolestum esset audire,
& meæ personæ dignum coram & in os lau-
dare. Istæ enim te ad dignitatis illud culmen
euexerunt & in camino summarum aduersi-
tatum, magis quam alij depresserant (si ta-
men virtus deprimi potest) ad sempiter-
nam nominis, familiæ, Ordinis & dignita-
tis tuæ memoriam extulerunt. Ad quæ
virtutum tuarum ornamenta accedit quod
te per Germaniam & Galliam Primatem
in numero nostrorum Abbatum agnoscimus:

quam

quam Antistitis dignitatem & pietate & specie ipsa corporis tueris, magis autem cùm regulam Sanctissimi Patris nostri Benedicti cum variorum doctissimis commentarijs tuis expensis ad religiosam disciplinã stabiliendam, ante annos viginti nouem prælo subijci præcepisti. Accedit, quod eo loco rerum potiris, vnde quasi ex equo Troiano prima Christianæ fidei pietas, vt ex superioribus patet, ad ceteras Germaniæ partes, per D. Bonifacium & Rabanum, cuius libri cæterorum auctorum libros & numero & vtilitate superarunt, vtrumq; quoq; Archiepiscopum Moguntinum percrebuit primusq; fuerit D. Bonifacius, qui Ordinem D. Benedicti sub congregatione Fuldensi in Germaniæ partibus collegit, vt & Tritemius & Arnoldus Vion testes sunt.

Ne verò Christianæ fidei radices, tanto sudore & cruore pientissimorum prædecessorum in Buchonica ista natione iactæ, vlla ratione vel suffocarentur vel euellerentur, non ex alienis sed proprijs reditibus Gymnasium illud celeberrimum Patrum Societatis IESV tum ad iuuentutis, tum ad subditorum animos rectiùs in fide Catholica formandos, constituisti. Vnde & in hisce & remotioribus partibus fulcra quædam Catholicæ religionis prodierunt. Quo enim argumento Benedictinæ familiæ proceres & ceteri viri principes diui-

næ

næ prædestinationis & cælestis vocationis gratiam certiorem reddere possunt, quàm in religiosorum Monasteriorum, Cœnobiorũ Collegiorum, & sacrorum contuberniorum, in quibus vel continua Dei laus, vel doctrinæ & pietatis studia vigeant, liberali fundatione? hoc est, vt qui ea loca erigunt, & pro quibus eriguntur, qui metunt & seminant, simul gaudeant & cælesti beatitate perfruantur.

Habes præterea, prædecessorum dissimulatione, intra mœnia ciuitatis Fuldensis gentem absq; consilio, & vt Moyses ait, sine prudentia, gentem incircumcisam auribus, *Deut. 32. 28.* &, vt D. Stephanus loquitur, dura ceruice & facie, gentem indomabili, vt cum DEO apud *Act. 7. 51.* Ezechielem querar, corde, domum puta & synagogam Iudæorum exasperantem, cum qua *Ezech. 2. 3. 4. 6.* mihi sæpiùs in Sabbatho, dum Fuldæ agerem temporibus Rabbi Dauid, de Christo vnico assertore nostro in synagoga disceptatio fuit, qui vt ad fidem Christi pertrahantur, primus huius Aureæ Gẽmæ liber diuinitatẽ eius tradit, sex reliqui quomodo figuris & prophetijs de Messia ab incarnatione vsq; ad resurrectionem & ascensionem veritas Euangelica respondeat, edocent: ita vt necesse sit, vt aut Iudæi nobis Christum sepultum & ab illis sigillo & custodijs adhibitis consignatum, reddant, aut resurgentem nobiscum adorent. Accipe ergo, Reuerendissime Præsul, ab humi-

mili Abbate, Abbatis, id est, Patris Illustrissimi affectu, quicquid in his libris posui, laboris & & sudoris, qui vtinam reipublicæ prosint, & tuo nomini amplissimo non indigni habeantur. DEVS Optimus Maximus, Celsitudinem tuam, ditioni, Ordini, totiq; Ecclesiæ quamdiu seruet incolumem & superstitem. Datum Paderbornæ ex Abbatia nostra SS. Petri & Pauli Apostolorum Abdinkhouensi, Anno 1604. 21. Martij, quæ dies S. Benedicto nostro fuit sacra natalis.

***

T. Reuerendissimæ & illustrissimæ Celsitudinis

Obseruantissimus

LEONARDVS *Abbas Abdinkhouensis S. Vnionis Bursfeldensis præsidens, SS. Theol. Lacent.*

INDEX

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

DE CHRISTI IESV DIVINITATE seu natura diuina.

CAPVT I. *Christus Iesus Dominus noster qui est Filius Dei, est verus Deus per essentiã sicut Pater, quod probatur collatione noui testamẽti cũ veteri, contra Iudæos & Arrianos.* fol. 1

II. *Idem probatur ex locis noui testamẽti.* f. 21.

III. *Probatur ex nominibus Dei.* fol. 29.

IIII. *Ex attributis diuinis probatur diuinitas Christi.* fol. 33.

V. *Probatur diuinitas Christi ex operationibus diuinis a scriptura sacra illi tributis.* f. 39.

VI. *Probatur diuinitas Christi ex sacris litteris eo quòd eodem diuino cultu Christum prosequimur quo Patrem.* fol. 55

VII. *Probatur diuinitas Christi ex scripturis aqualitatem & vnitatem cum Patre declarantibus.* fol. 63.

LIBER II.

De Christi Iesu assumpta humana natura.

CAPVT I. *Christi incarnatio in sacris literis promittitur.* fol. 65.

II. *De matre Messiæ.* fol. 84.

III. *Debuit & eadem Patri cælesti à teneris annis in templo præsentari.* fol. 88.

IIII. *Multis alijs virtutibus exornata fuit, quarum varietate circundata fuit.* fol. 89.

V. *Præcipuis quibuscunq; rebus in sacris litteris comparata.* fol. 95.

VI.

VI. Præfigurata etiã per claras mulieres. f. 99.
VII. Eadem multis alijs scripturæ locis prædicitur. fol. 104.
VIII. Christus Dominus concipitur de B. Virgine, ex Spiritu sancto. fol. 106.
IX. Christus nascitur in Bethlehem. fol. 109
X. Christus Dominus nascitur sine peccato. f. 114.
XI. Christus circumciditur & imponitur illi nomen Iesus. fol. 117.
XII. Christi natiuitas manifestatur pastoribus vigilantibus. fol. 119
XIII. Eadem tribus magis manifestatur per stellam. fol. 121.
XIV. Christus præsentatur & manifestatur in templo. fol. 123.
XV. Christus fugit in Ægyptum, & occiduntur innocentes. fol. 127.
XVI. Christus mortuo Herode vocatur ex Ægypto. fol. 129.
XVII. Puer Iesus amissus à parentibus, inuenitur in templo. fol. 130.
XVIII. De tẽpore Christi à manifestatione in tẽplo anno 12. ætatis, ad tempus prædicationis eius. folio. 133.

LIBER III.

De varijs qualitatibus Christi Domini ordine alphabetico.

CAPVT I. Christus est aduocatus noster. fol. 137.
II. Christus est agnus Dei. fol. 138.
III. Christus est caput Ecclesiæ. fol. 138.
IV. Christus est causa omnis iustificationis. f. 140.
V. Patrum etiam veteris testamenti eadem causa fuit. fol. 143.

VI. Christus est Doctor, Magister, Propheta, prædicator. fol. 145.
VII. Christus est Dominus, & Dominus dominantium, Rex, & Rex regum. fol. 147.
VIII. Est iustificator noster. fol. 150.
IX. Est legifer noster. fol. 151.
X. Est lux gentium & totius mundi. fol. 154.
XI. Est mediator noster. fol. 160.
XII. Christus est verus Messias Spiritu sancto & omniũ donorũ plenitudine unctus. f. 164.
XIII. Christus est oblatio, hostia, & sacerdos. f. 166.
XIV. Christus est ostium nostrum. fol. 170.
XV. Christus est pastor bonus & verus. fol. 170.
XVI. Christus est pax, & pacificator, & purificator. fol. 174.
XVII. Christus propitiatio nostra. fol. 176.
XVIII. Christus est reconciliator noster. fol. 176.
XIX. Christus redemptor noster, per sanguinem suum. fol. 177.
XX. Christus est resuscitator corporum nostrorum. fol. 187.
XXI. Christus est omniũ nostrorũ saluator. f. 188.
XXII. Christus est via nostra. fol. 195.
XXIII. Christus est vita nostra æterna, lætitia, gaudium & gloria sanctorum. fol. 198

LIBER IIII.

De manifestatione Christi ab anno ætatis 30. ad suam sanctissimam passionem.

CAPVT I. De Iohanne baptista præcursore Christi & eius prædicatione. fol. 207.

II. Christus Dominus à D. Ioanne baptizatur. fol. 216.
III. Christus ductus in desertum 40. diebus ieiunans tentatur à Diabolo. fol. 219.
IV. Christus prædicat pœnitentibus regnum cælorum. fol. 223.
V. De vocatione primorũ 5. discipulorũ. 227.
VI. De vocatione aliorum pauperum & idiotarum ad apostolatũ & per piscationẽ. f. 228.
VII. Christum audiunt & sequuntur turbæ innumeræ. fol. 234.
VIII. Christus cum hominibus benignè & suauiter conuersatur. fol. 237.
IX. Idem peccatores recipit benignè. fol. 239.
X. Pauperes & miseros pœnitentes protegit à calumnijs maleuolorum. fol. 242.
XI. Christus reputat sibi fieri quod Christianis fit. fol. 247.
XII. Christus Dominus docuit in parabolis. f. 250.
XIII. Christus Dominus magnis miraculis doctrinam suam confirmauit. fol. 253.
XIV. Christus in mõte Thabor trasfiguratur. 258.
XV. Christus labore itinerum & inopia rerum, & multitudine insidiarum, exercetur. f. 260.

LIBER. V.

Christus Iesus patiens.

CAPVT I. Maria Magdalena vngit pedes & caput Christi. fol. 264.
II. Iudæi consilium contra Christum ineunt vt illum occidant. fol. 267.

III. In-

III. Ingressus Christi in Ierusalem in die palmarum. fol. 269.
IV. Christus mittit duos de discipulis ad parandam cœnam. fol. 273.
V. De vltima cœna quam Christus cum discipulis sumpsit. fol. 275.
VI. Quomodo Christus inter cœnandum proditionem suam aperiat. fol. 276.
VII. Christus lauit pedes discipulorum. f. 279.
VIII. Christus Dominus instituit sanctissimum Eucharistiæ sacramentum. fol. 282.
IX. Christus hymno dicto egreditur ad montem Oliuarum. fol. 286.
X. Christus venit in vallem Gethsemani, & ingreditur hortum. fol. 289.
XI. Christus contristatur & iubet suos orare, & vigilare. fol. 291.
XII. Christus orat in horto. fol. 292.
XIII. Christus Dominus non habet vigilantes secum aut sibi cõpatientes discipulos. f. 294.
XIV. Christus in agonia constitutus confortatur ab Angelo. fol. 295.
XV. Christus in agonia prolixiùs orat. fol. 296.
XVI. Christus sudat sanguinem. fol. 297.
XVII. Christum prodit Iudas cohorte assumpta. ib.
XVIII. Inimici Domini Christum non agnoscentes cadunt retrorsum. fol. 300.
XIX. Capitur Christus. fol. 301.
XX. Ostendit quod sponte capiatur, & de potestate tenebrarum quid sentiendum. 304.

XXI. Zelus Petri in defensione Christi, quem Christus non admittit. fol. 306.
XXII. Fuga discipulorum Christi, conculcatio & tractio per torrentem. fol. 308.
XXIII. Christus ligatus ad Annã ducitur. f. 311.
XXIV. Ducitur ad domũ Caiphæ vbi omnes conueniunt sacerdotes & scribæ. fol. 312.
XXV. Christus palam locutus est. fol. 315.
XXVI. Christus alapa cæditur. fol. 316.
XXVII. Petrus negat Christum. fol. 317.
XXVIII. Contra Christum agitur falsis testimonijs. fol. 320.
XXIX. Tacet Christus ad interrogationem Caiphæ. fol. 322.
XXX. Prædicit sessionem ad dexteram Patris & aduentum in nubibus. fol. 324.
XXXI. Iudicatur Christus. fol. 325.
XXXII. Summus pontifex scindit vestimenta sua. fol. 329.
XXXIII. Christus illuditur, facies eius velatur, cõspuitur, colaphis & alapis cæditur. Ibid.
XXXIV. Compassio dolor, & mœror beatissimæ matris, quem ea nocte habuit. fol. 332.
XXXV. Christus vinctus ducitur ad Pilatũ. f. 333.
XXXVI. Iudas laqueo se suspendit, & crepat medius proiectis priùs in templum triginta denarijs. fol. 334.
XXXVII. Pretio triginta argenteorum emitur ager à sacerdotibus. fol. 337.
XXXVIII. Christus apud Pilatũ accusatur. f. 337.

XXXIX.

XXXIX. Christus fatetur se regem, & ad testandã veritatem venisse, tacet ad conuitia Iudæorũ & ad interrogationẽ Pilati. f. 338.

XL. Christus à Pilato mittitur ad Herodem ibidẽ nihil locutus, & irrisus alba veste tandem remittitur ad Pilatum. fol. 340.

XLI. Barabbas latro præfertur Christo Domino & dimittitur. fol. 341.

XLII. Christus exuitur, ligatur, flagellatur. f. 345.

XLIII. Christo chlamyde coccinea circũdatur. 348.

XLIV. Christus spinis coronatur & arundine percutitur. fol. 350.

XLV. Variis modis Christus illuditur in domo Pilati. fol. 352.

XLVI. De Christi ad populum productione & dicto: Ecce homo. fol. 354.

XLVII. De iterata Christi ad populũ productione & mortis eius à Iudæis petitione, & dicto Ecce Rex vester. fol. 356.

XLVIII. Sanguinem Christi super se petunt perfidi Iudæi. fol. 358.

XLIX. Christus innocẽs dãnatur ad mortẽ. f. 361.

L. Educitur Christus vt crucifigatur & baiulat sibi crucem. fol. 364.

LI. Alloquitur Christus lamentantes, & sequentes se mulieres. fol. 368.

LII. Simon Cyrenæus angariatur vt crucem Christo Domino portet. fol. 370.

LIII. Venit in Golgatha locũ caluariæ, & datur illi vinum cum felle mixtũ ad bibendũ. f. 371.

LIV. Iesus Christus crucifigitur. fol. 372.

LV.

LV. Christus pendet inter duos latrones. f. 380.
LVI. Titulus causæ Christi mortis imponitur cruci. fol. 381.
LVII. Vestes Christi diuiduntur. fol. 385.
LVIII. De iniurijs & irrisione Christo in cruce pendenti illatis. fol. 386.
LIX. De primo verbo prolato in cruce. Pater dimitte illis, &c. fol. 391.
LX. De secundo verbo. Hodie mecum eris in paradiso. fol. 393.
LXI. De 3. verbo ad matrẽ & D. Ioannẽ f. 396.
LXII. De quarto verbo in cruce. Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti. fol. 398.
LXIII. De quinto verbo Christi in cruce. Sitio, cui præbetur potus. fol. 401.
LXIV. De 6. Christi verbo Consummatũ est. 404.
LXV. De vltimo verbo Christi, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. f. 406.
LXVI. Christus Dominus moritur. fol. 407.
LXVII. De his quæ ante & post mortem Christi acciderũt, vt de tenebris, terræmotu, resurrectione & luctu multorum. fol. 409.
LXVIII. Non franguntur crura Iesu sed latus eius lancea aperitur. fol. 416.
LXIX. Christus Dominus de cruce deponitur & sepelitur. fol. 420.
LXX. De custodia sepulchri Domini. fol. 425.
LXXI. De descensu Christi ad limbum. f. 426.
LXXII. Quanta fuerit huius diei passionis Dominicæ solennitas. fol. 429.

CAPITVM.

LIBER VI.

Christus Iesus de morte resurgendo triumphat, cælos ascendit, & Spiritum sanctum mittit.

CAPVT I. *Resurrectionis Christi festiuitas, quomodo ex scriptis Moysis eliciatur.* fol. 441.

II. *Resurrectionis Christi gloria quomodo historia veteris testamenti respondeat.* f. 453.

III. *Quomodo ex psalmis probetur Christi Domini resurrectio.* fol 473.

IV. *Quomodo ex prophetis probetur Christi Domini resurrectio & eiusdem solennitas.* folio 480.

V. *Quomodo ex ipsa veritate noui testamenti probetur Christi resurrectio.* fol. 489.

VI. *Prima apparitio Christi facta Mariæ Magdalene.* fol. 500.

VII. *Apparet tribus Marijs.* fol. 501.

VIII. *Tertia apparitio facta Simoni Petro.* f. 502.

IX. *Quarta duobus discipulis euntibus in Emaus facta.* fol. 502.

X. *Quinta manifestatio, facta in die Paschæ vndecim Apostolis.* fol. 504.

XI. *Sexta apparitio octauo die Paschæ ob Thomam facta.* fol. 507.

XII. *Septima apparitio, ad mare Tyberiadis.* folio 507.

XIII. *Cùm apparet Iacobo & postmodum Diuo Paulo.* fol. 511.

XIV. *Nona apparitio facta recumbentibus vndecim Apostolis.* fol. 511.

XV. De

XV. De vltima apparitione, facta in mõte & ipsa ascẽsione Christi ad cælos, & 1. in figuris. 512
XVI. Ascensionis Dominicæ Prophetiæ. f. 520.
XVII. Ascensionis Dominicæ in nouo testamento veritas. fol. 528.
XVIII. Manifestatio Christi quomodo manifestationi Ioseph respondeat. fol. 531.
XIX. Spiritus S. promittitur & datur. fol. 542.

LIBER. VII.

De sessione Christi ad dexteram Patris, & iudiciaria eius potestate.

CAPVT I. Christus est in cælis ad dexteram Patris. fol. 554.
II. Christus non est vbiq; secundùm humanitatem. fol. 557.
III. Christus iudicatur & est viuos & mortuos. f. 558.
IV. Eadem iudiciaria Christi potestas probatur ex Euangelistis fol. 571.
V. Ex Actis & scriptis Apostolorũ. fol. 579.
Carmen F. Ioannis Scheuenhusij Benedictini ad lectorem.
Ad pastores & cõcionatores auctoris admonitio.

AVCTOR LECTORI.

NOta Christiane Lector, in sequentibus libris à me citatis primum numerum caput indicare, proximè sequentem versum quemq; capitis, vsq; ad hoc signum † vel si hoc signum non adsit ad proximam vsq; sequentis libri citationem, sunt versuum in eodem capite citatorum notæ. Exempli gratia, folio 17. linea 17. Isai. 11. 19. † 16. 1. † 53. 7. lege Isai. capite vndecimo, vers. 19. cap. 16. vers. 1. &c. Eodem folio linea 6. lege Ioannis 1. capite versu 24. 25. 26. &c. nisi præcedat capitibus, vt eodem folio linea 18. capitibus quinto, sexto, septimo, duodecimo, &c.

LIBER PRIMVS.
DE
CHRISTI IESV DIVINITATE ET NATVRA DIVINA.

CAPVT I.

CHRISTVS IESVS DOMINVS NOSTER, qui est filius Dei, est verus Deus per essentiam sicut Pater.

VERITAS hæc probatur collatione locorum sacræ scripturæ noui testamenti cum veteri contra Iudæos & Arrianos.

PRIMVS LOCVS. Exodi 20. 2. *Ego sum Dominus DEVS tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis.* Hunc esse Dominum IESVM, docet D. Iudas in sua canonica. vers. 5. *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam IESVS populum de terra Ægypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt perdidit.*

II. Exod. 20. 22. *Dixit præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filijs Israël: Vos vidistis*

quod de cælo locutus sum vobis. Cui locus D. Pauli respondet. Hebr. 12. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. *Non enim accessistis ad tractabilem montem & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem; & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum. (Non enim portabant quod dicebatur. Et si bestia tetigerit montem lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum & tremebundus.) Sed accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis: & iudicem omnium Deum, & Spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum: & sanguinis aspersionem: melius loquentem quam Abel. Videte ne recusetis loquẽtem. Si enim illi non effugerũt recusantes eum, qui super terrã loquebatur, multo magis nos qui de cœlo loquentẽ nobis auertimus: Cuius vox mouit terram tunc: nunc autem repromittit dicens: Adhuc semel: & ego mouebo nõ solum terrã, sed & cælũ.*

III. Psalm. 2. 7. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Psalmus iste accommodatur Christo. Actorum 4. 25. 26. *Qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid, pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Locus verò citatus respon-

spondet Christo. Actorum 13. 32. 33. 34 35. 36. 37. *Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimplenit filijs nostris, resuscitans Iesum, sicut & in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu ego hodie genui te. Quod autem suscitauit eum a mortuis, amplius iam non reuersurum, in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia, Ideoq; & alias dicit: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Dauid enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem* Hebræor. 1. 5. *Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu ego hodie genui te? Et rursus. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium,* vide etiam infra loco 10.

IV. Christus Dominus est rex gloriæ. psalmo 23. 7. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.* 1. Cor. 2. 7. 8. *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Crucifixerunt autem Christum.

V. Psalm. 44. 7. *Sedes tua Deus in seculum seculi: virga directionis virga regni tui.* Ad Christum hunc locum refert D. Paulus Hebr. 1. 8. *Ad filium autem: (Supple dixit) Thronus tuus Deus in seculū seculi: Virga æquitatis virga regni tui.*

VI. Psalm. 67. 8. *Deus cùm ingredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto.* versu 19. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus.* Ad Christum hoc vaticinium refert D. Paulus Eph. 4. 7. 8. 9. *Vnicuiq; autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, propter quod dicit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus; quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit ipse est, qui & ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia.* De donis verò datis hominibus mox subiungitur vers. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum in astutia ad circumuentionem erroris*

VII. Psalmo 77. 40. *Quoties exacerbauerunt eum* (Deum scilicet) *in deserto, in iram concitauerunt eum in inaquoso?* Cui resp. 1. Cor. 10. 9. *Neq; tentemus Christum: sicut quidam eorum tentauerunt* (quod idem est ac si dicat exacerbauerunt) *& à serpentibus perierunt.* De quo Numerorum cap. 21. versu 6. 7. 8. 9.

VIII.

VIII. Psalmo 94. 6. *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos.* Hunc Deum D. Paulus dicit esse Christum. Hebr. 3. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Et Moyses quidem fidelis erat, in tota domo eius, tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant. Christus verò tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsq; ad finem firmã retineamus. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundũ diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea, quadraginta annis: propter quod infensus fui generationi huic, & dixi semper hi errant corde. Ipsi autem non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Videte fratres ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi à Deo viuo: Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Et sicut præcedenti loco septimo non vult vt eum tentemus, sic vult hîc vt eum audiamus.

IX. Psalmo 69. 8. *Adorate eum omnes angeli eius, audiuit & lætata est Sion, & exultauerunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine.* De hac adoratione Hebr. 1. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes angeli Dei.*

X. Psal. 109. 3. *Tecũ principiũ in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum: ex vtero ante Luciferum genui te.* Respondet Hebr. 1. 5. vt supra loco tertio.

XI. Psalmo 101. 16. *Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.* Vbi ponitur Iehoua Hebraicè. quem psalmum ad Christum Dominum refert D. Paulus Hebr. 1. 10. 11. 12.

XII. Esaiæ 6. 1. 2. 3. *In anno quo mortuus est Rex Ozias vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphin stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant & clamabant alter ad alterum & dicebant. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Quod caput accómodatur Christo. Ioann. 12. 37. 38. 39. 40. 41. *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: vt sermo Isaiæ Prophetæ impleretur quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur & sanem eos. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo* Christo Domino scilicet. Simile est, Apoc. 4. 2. *Et statim fui in Spiritu, & ecce sedes posita erat in*

cælo

cælo, & supra sedens versu 8. 9. 10. 11. *Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas, & in circuitu, & intus plena sunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte, dicentia. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, viventi in secula seculorum, procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno & adorabant viventem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter tuam voluntatem erant, & creata sunt.*

XIII. Isaiæ 7. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel,* quod impletur Lucæ 1. 30. 31. 32. *Et ait angelus ei. Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Matt. 1. 22. 23. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.*

XIV. Isaiæ 8, 13. 14. 15. 16. 17, *Dominum*

exercituum ipsum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israël, in laqueum & in ruinã habitantibus Ierusalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent & conterentur; & irretientur, & capientur. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis, expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum. De Christo verò loquitur Simeon ille iustus & timoratus expectans in Christo consolationem Israël Luc. 2. 34. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur.* Rom. 9. 32. *Israël sectando legem iustitiæ in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est. Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis qui credit in eum non confundetur* 1. Petr. 2. 6. 7. 8. 9. *Propter quod continet scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum, & qui crediderit in eum non confundetur. Vobis igitur honor credentibus: nõ credẽtibus autẽ lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scãdali, his qui offendũt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris*

bris vocauit vos, in admirabile lumen suum.

XV. Isaiæ 9. 6. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Hic paruulus cum vocabulo adiuncto Deus, nascitur. Luc. 2. 6. 7. *Factum est autem cùm esset ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio.* Versu. 11. 12. *Quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.*

XVI. Isaiæ 35. 4. 5. 6. *Dicite pusillanimis confortamini & nolite timere: Ecce Deus vester vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine.* Impletur Matt. 11. 4. 5. *Et respondens Iesus ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgant, pauperes euangelizantur, & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* De quibus miraculis latius infra libro quarto, capite 13.

XVII. Isaiæ 40. 3. *Vox clamantis in de-*

ſerto parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Ponitur Iehoua in Hebręo Accõmodatur Chriſto. Matth. 3. 3. *Hic eſt enim de quo dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem. Vox clamantis in deſerto parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius.* Marci 1. 1. 2. 3. 4. *Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei: Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Fuit Ioannes in deſerto baptizans & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Lucæ. 3. 3. 4. 5. 6. *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ſicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Omnis vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt prauа in directa, & aſperа in vias planas, & videbit omnis caro ſalutare Dei.* Ioan. 1. 22. 23. *Quis es vt reſponſum demus his qui miſerunt nos? quid dicis de teipſo? Ait: Ego vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta.*

XVIII. Iſaiæ 41. 3. 4. *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prauа in directa, & aſperа in vias planas.* Ibidem cap. 44. 6. *Hæc*

6. *Hæc dicit Dominus Rex Israël, & redemptor eius Dominus exercituum: Ego primus, & ego nouissimus, & absq; me non est Deus.* Capite 48. 10. 11. 12. *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. Propter me faciam: vt non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Audi me Iacob & Israël quem ego voco. Ego ipse: ego primus & ego nouissimus.* Talis Christus. Apoc. 17 18. *Et cùm vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus: & posuit dexteram suam super me dicens, noli timere, ego sum primus & nouissimus.* Ibidem cap. 22. 13. *Ego sum* A *&* Ω, *primus & nouissimus, principium & finis.*

XIX. Isaiæ 45. 14. 15. *Hæc dicit Dominus, Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt: vincti manicis pergent, & te adorabunt teq; deprecabuntur. Tantum in te est Deus, & non est absq; te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël, Saluator.* Absconditus per assumpti corporis Sacramentum. Saluator. Matth. 1. 20. 21. *Hæc autem eo (*Ioseph scilicet*) cogitante. Ecce angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* De quo plura infra libro tertio capite 21.

XX. Isaiæ 4. 22. 23. 24. *Conuertimini ad*

me

me & salui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus & non est alius. In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Accommodat id Christo D. Paulus Rom. 14. 10. 11. *Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim. Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo.* De qua statione ante eius tribunal, vide etiam 2. Cor. 5. 10. Phil. 2. 9. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESUS Christus in gloria est Dei patris.* Ille ergo cui curuabitur omne genu, est Deus Israël, est Christus.

XXI. Isaiæ 52. 5. 6. 7. 8. *Et nunquid mihi est hîc dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis? dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus nomẽ meum in die illa: quia ego qui loquebar ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus: vox speculatorum tuorum, leuauerunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt cùm conuerterit Dominus Sion.* Versu 10. *Parauit Dominus brachium*

san-

sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Versu 12. *Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis: Præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israël.* Illud salutare vidit Simeon. Luc. 2. 30. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciē omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* Et explicat S. Ioannes Bapt. Luc. 3. 7. *& videbit omnis caro Salutare Dei.* Et D. Paulus Actor. 28. 28. *Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient.* De quo etiam Psalmo 97. 2. *Notum fecit Dominus salulutare suum: in conspectu gentium revelauit iustitiam suam.*

XXII. Ieremiæ 14. 8. 9. *Exspectatio Israël, saluator eius in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, vt fortis qui non potest saluare? tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos.* Colonus est Christus in agricultura seminis. Vir vagus qui non habet vbi caput reclinet. *Cum vulpes foueas habeant & volucres cæli nidos.* Matth. 8. 10.

XXIII. Ieremiæ 23. 5. 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda & Israël habitabit confidenter: & hoc est nomen,*

men, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Impletur in Christo qui ex semine Dauid secundum carnem natus, factus est nobis iustitia & cætera, vt libro tertio cap. 3. & 8. 1. Cor. 1. 30. 31. *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio & redemptio: vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur in Domino glorietur.* Et Danielis 9. 24. est iustitia sempiterna. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt cõsummetur prænaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum & cætera.*

XXIV. Baruch. 3. 36. 37. 38. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Nil clarius de Christi doctrina, disciplina, & vita dici potuit. De quibus inferius toto libro tertio, quarto & quinto agemus.

XXV. Ose. 1. 7. Deus sic loquitur. *Et domui Iuda miserebor, & non saluabo eos in Domino Deo suo, & non saluabo eos in arcu & gladio, in bello, & in equis, & in equitibus.* Sic D. Paulus Actorum 13. 23. 24. *Huius Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israël Saluatorem Iesum, prædicante Iohanne ante faciem aduentus eius baptismum pœnitentiæ omni populo Israël.*

Deus

Deus pater dedit Christo populo suo saluatorem. Plura libro 3. cap. 21.

XXVI. Ioelis 2. 27 28. 29. 30. 31. 32. *Et scietis quia in medio Israel ego sum: & ego Dominus Deus vester, & non est amplius: & non confundetur populus meus in aternum. Et erit post hæc, effundam Spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum. Et dabo prodigia in cælo, & in terra sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et erit omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit: quia in monte Sion, & in Ierusalem erit saluatio, sicut dixit Dominus, & in residuis quos Dominus vocauerit.* Refert id D. Petrus ad Christum in prima sua post acceptum Spiritum sanctum concione, Actor. 2. 16 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Ioël. Et erit in nouissimis diebus (dicit Dominus) effundam de spiritu meo super omnem carnem & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos & super ancillas meas, in diebus illis effundam de spiritu meo & prophetabunt, & dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, &*

luna

luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. Et omnis quicunq; invocauerit nomen Domini, saluus erit. Viri Israëlitæ audite verba hæc. Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus & prodigijs & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis: hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum, affligētes interemistis, quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni. Iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.

XXVII. Mich. 4. 6. 7. *In die illa dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam quam eieceram, colligam: & quam afflixeram, consolabor, & ponam claudicantem in reliquias, & eam quæ laborauerat, in gentem robustam, & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsq; in æternum.* De regno Christi in domo Iacob in æternum loquitur Gabriel Archangelus Lucæ 1. 30. 32. 33. *Et ait Angelus ei. Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Videatur & psalmus 44. versu 5. Isa. 32, vers. 1. Ier. 23. vers. 6. † 33. vers. 20. 21. Apoc, 11. vers. 15.

XXVIII, Mich. 7. 18, 19. 20. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet*

vltra

vltra furorem suum: quoniam volens misericordiam est, reuertetur & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & proiicies in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham, quæ iurasti patribus nostris à diebus antiquis. Impletur in Christo Ioan. 1. 24. 25. 26. 27. 28. 29. *Et qui missi fuerant erant ex Pharisæis, & interrogauerunt eum, & dixerunt ei. Quid ergo baptizas si tu nõ es Christus, neq; Elias, neq; Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo vos in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est. Cuius ego nõ sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti. Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait. Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.* De quo Agno vide plura Isa. ii. 19 †16. 1. † 53. 7. Ioël. 1. 36. Apoc. 13. 8. Et in Apocalypsi sæpius, capitibus, 5. 6. 7. 12. 14. 15. 17 19. 21. 22, & infra libro 3. cap. 2. Hinc etiam per Christum potestas clauium. Matth. 16. 19. *Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcunq; solueris super terram erit solutum & in cælis.* Cui & correspondet capitis 18. versus 18. Et Ioannis capitis 20. versus 22. & 23. Hinc peccata dimittit paralytico Matth. 9. 1. 2. *Et ascendens in nauiculam transfretauit & venit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum dixit paralytico. Confide fili, dimittuntur tibi peccata*

tua. Marci. 2. 5. *Cum autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico. Fili dimittuntur tibi peccata tua.* Lucæ. 8. 20. *Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.* Mariæ Magdalenæ Lucæ. 7. 47. 48. 49. 50. *Propter quod dico tibi. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam. Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se. Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem. Fides tua te saluam fecit, vade in pace.*

XXIX. Abacuc. 3. 18 *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo,* vbi Hebræi legunt, in Deo salute mea. De qua salute & saluatore *D.* Paulus Heb. 2. 10. *Decebat enim cum propter quem omnia, & per quē omnia qui multos filios in gloriam adduxerit, auctorem salutis eorū per passionem consummari.* Ibidem. cap. 5. 9. *Et cō summatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* Apoc. 7. 10. *Et clamabant voce magna dicentes. Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno.* Qua de re latius libro 3. capite 21.

XXX. Zachar. 2. 8. 9. 10. 11. *Quia hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliauerunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei, quia ecce ego leno manum meam super eos, & erunt prædæ his, qui seruiebant sibi: Et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me*

me. Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio & habitabo in medio tui ait Dominꝰ: & applicabũtur gẽtes multæ ad Dominũ in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Nullũ scimus missum à Patre, nisi Christũ. Ioan 3.17. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum.* Ibidem, cap. 4.34.35.36.37.38. *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis. Leuate oculos vestros & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem, & qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam Vt & qui seminat, simul gaudeat & qui metit.* Ibid. cap. 6.40. *Hæc est autem voluntas patris mei qui misit me: vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eũ in nouissimo die.* Capit. 12. 49. *Quia ego ex meipso nõ sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar.*

XXXI. Zachar. 3.1.2. *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini: & Satan stabat a dextris eius, vt aduersaretur ei. Et dixit Dominus ad Satan. Increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalẽ, nunquid nõ iste torris est erutus de igne?* Increpauit Christus Diabolum tentantem. Matthæi 4.10. *Tunc dicit ei Iesus: Vade retro Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies.*

XXXII. Zachar. 12. 1. *Onus verbi Domini super Israël dicit Dominus extendens cælum & fundans terram & fingens Spiritum hominis in eo.* Versu 10. *Et effundam super domum Dauid, & super habitantes Ierusalem Spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.* De Christo. Apocal. 1. 4. 5. 6. 7. 8. *Ioannes septem Ecclesijs quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes, Deo & patri suo: ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & planget se super eum omnes tribus terræ: etiam; Amen.*

XXXIII. Malach. 3 1. 2. 3. 4 5. 6. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim venit ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & conflabit eos quasi aurum & quasi ar-*

gentum

gentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda & Ieruſalem ſicut dies ſeculi. & ſicut anni antiqui. Et accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis & adulteris & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me dicit Dominus exercituum. Ego enim Dominus & non mutor, & vos filij Iacob non eſtis conſumpti. Sed nemo miſſus ante Chriſtum qui ei viam præpararet niſi Ioannes Baptiſta, teſte Chriſto, Matth. 11. 8. 9. 10. *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? dico vobis & plus quam prophetam. Hic enim eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Sic Zacharias. Lucæ. 1. 76. 77. *Et tu puer propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.*

CAPVT II.

Idem probatur ex locis noui teſtamenti.

I. Vbi vocatur filius Dei. Matth. 3. 17. *Et ecce vox de cælis dicens: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui:* Ibidem, cap. 16. 17. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria patris ſui, cum Angelis ſuis: & tunc reddet vnicuiq; ſecundum opera eius.*

II. Ioannis 1. 14. Vocatur vnigenitus à patre. *Et verbum caro factum eſt, & habitabit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vni-*

geniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Versu 18. Vnigenitus qui est in sinu Patris. *Deum nemo vidit vnquã. Vnigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrauit.* Ibidem. capit. 3. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitã æternam.* Versu. *18. Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Cap. 14. 9. *Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum & non cognouistis me? Philippe qui videt me, videt & patrem.*

III. Proprius Filius. Rom. 8 32. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?*

IV Verus Filius. Ioan. 5. 20. *Et scimus quoniam filius Dei venit & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.*

V. Ex vtero genitus filius. psalmo 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex vtero ante Luciferum genui te.* Cui respondet. Heb. 1. 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu, ego hodie genui te?* Non in tempore, sed ante Luciferum.

VI. Colloss. 1. 15. Primogenitus omnis creaturæ, & imago inuisibilis Dei. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ.*

VII. Hebr. 1. 3. Splendor gloriæ & figura substantiæ eius. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figu-*

ra

va substantiæ eius, portansq; omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præillis nomen hæreditauit.

VIII. Filius Altissimi. Luc. 1. 32. *Hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Quæ omnia nulli alteri tribuuntur, nec vlli adoptiuo. Cum nos omnes per Christum etiam adoptionem habeamus. Galat. 4. 4. 5. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.*

IX. Accusatus etiam quod filium Dei se fecit. Ioannis. 19. 7. Responderunt ei Iudæi: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Quam accusationem tacendo admisit, & pro ea mortuus est, cum alias Iudæi erāt etiam filij Dei, sed adoptiui, & vnum patrem habebant Deum. Ioan. 8. 41. *Vos facitis opera patris vestri, dixerunt q; ei: Nos ex fornicatione non sumus nati, vnum patrem habemus Deum.* Propterea quærunt illum interficere. Ioan. 5. 18. *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum soluebat Sabbathum: sed & patrem suum dicebat Deum æqualem se faciens Deo.*

X. Quia hic filius veniet in maiestate sua

Matth. 24. 30. *Et tunc patebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate.* Quæ maiestas est gloria Patris sui. Matth. 16. 27. *Filius enim hominis venturus est cum gloria patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundum opera eius.*

XI. Quia in principio fuit verbum & Deus. Ioan. 1. 1. 14. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Versu 14. *Et verbum caro factum est, & habitabit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre, plenum gratiæ & veritatis.* 1. Iaannis 5. 20. Est verus Deus. *Et scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus & vita æterna.*

XII. Quia omnia per hunc filium facta sunt. Ioannis 1. 1. 2. 3. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

XIII. Quia credentes in filium saluantur. Ioan. 3. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

XIIII. Quia hic filius est vnum cum patre. Ioannis 10. 30. *Ego & pater vnum sumus.* Vnitatis verò essentiæ hîc esse mentionem, probant ante-

antecedentia verba. versu 29. quod nemo potest rapere de manibus suis, quod dedit illi pater, quod esset vna manus. versu 31. *Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.* Vbi cum hæc verba dixisset, sustulerunt lapides Iudæi vt lapidarent eum, eo scilicet, quod essentialiter sumebant hæc verba.

XV. Quia vt in Deum ita & in Christum credendum. Ioan. 14. 1. *Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum & in me credite.* quasi dicat nam & ego sum Deus.

XVI. Ex cognitione æquali Patris & filij. Ioan. 14. 7. *Si cognouiscetis me, & patrem meum vtiq; cognouiscetis, & amodò cognoscetis eum, & vidistis eum.*

XVII. Ex visione æquali. Ibidem. vers. 9. *Dicit ei Iesus. Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe qui videt me, videt & patrem meum. Quomodo tu dicis ostende mihi patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est?*

XVIII. Quia omnia patris habet filius. Ioan. 16. 15. *Omnia quæcunq; habet Pater, mea sunt, propterea dixi; quia de meo accipiet & annunciabit vobis.*

XIX. Quia omnia filij habet pater, & viciſſim omnia patris habet filius. Ioan. 17. 10. *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis*, quod nulla creatura dicere potest.

XX. Quia hunc agnoscit Thomas Deum

& Dominum suum. Ioan. 20. 28. *Respondit Thomas, & dixit. Dominus meus & Deus meus.*

XXI. Ecclesiam Dei acquisiuit sanguine suo. Actor. 20. 28. *Attendite vobis, & vniverso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.*

XXII. Est super omnia Deus benedictus. Rom 9. 5. *Quorum patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

XXIII. D. Paulus neq; ab homine, neq; per hominem vocatus, sed per Christum Deum. Gal. 1. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus neq; per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrem qui suscitauit eum à mortuis.* versu 11. 12. *Notum enim vobis facio fratres euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem: neq; enim ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem IESV Christi.*

XXIV. Galat. 4. 8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, ijs qui natura non sunt Dij, seruiebatis.* Olim seruierunt ijs qui natura non sunt Dij, nunc è contra, vt D. Basilius libro 4. in Eunomium argumentatur, Christo, qui natura est Deus.

XXV. Non est rapina quod sit æqualis Deo. Philip. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.*

XXVI. Charitas Dei est, quæ pro nobis animam suam posuit. 1. Ioannis. 3. 16. *Sic enim*

Deus

Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam. Ast pater non posuit animam sed Christus, secundum Isa 52. 10. *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Isa. 53. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum.* Hinc. 1. Ioan. 3. 16. *In hoc cognouimus charitatem Dei quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

XXVII. Est ex tribus illis vnus, qui testimonium perhibent in cælo. 1. Ioan. 5. 7. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo. Pater. Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*

XXVIII. 1. Ioann. 5. 20. Est verus filius verus Deus, vita æterna. *Et scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & scimus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Nil clarius dici potuit.

XXIX. Ex gratia Dei Saluatoris nostri. Tit. 2. 11. *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris omnibus hominibus. Erudiens nos vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi.* Si magnus Deus est Christus, erit ille de quo Psal. 94. 3. *Quoniam Deus magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos.* Et de quo psalmo. 83. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.*

non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.

XXX. Est A. & Ω. principium & finis, claues habens mortis & inferni. Apoc. 17. 8. *Ecce venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen. Ego sum A. & Ω. principiū & finis, dicit Dominus Deus: qui est, & qui erat, & qui venturus est Omnipotens.* Ibidem capit. 4. 8. 9. 10. 11. *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas, & in circuitu & intus plena sunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte, dicentia. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* vers. 11. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt.* Ibidem cap. 21. 5. 6. *Et dixit qui sedebat in throno. Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi scribe: quia omnia hæc verba fidelissima sunt & vera. Et dixit mihi. Factum est, ego sum A & Ω. initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.*

XXXI. Deus Dominorum est, & Rex regum. Apoc. 17. 14. *Hi cum Agno pugnabunt & Agnus vincet illos: quoniam Dominus Dominorum est & Rex regum, & qui cum illo sunt vocati electi & fideles.* Ibidem cap. 19. 16. *Et habet in vestimento, & femore suo scriptum, Rex regum & Dominus Dominantium.* Quæ omnia conueniunt soli Deo. 1. Timot. 6. 15 *Quem suis temporibus ostendet beatus, & solus potens, Rex regum & Dominus dominantium*

minantium. Est ergo Christvs Deus.

XXXII. Ex eo quod optamus gratiam illius, quæ solius Dei est, vt loco 21. ex psal. 83. vers. 12. diximus. Apoc. 22. 21. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus vobis; Amen*

CAPVT III.

Probatur diuinitas Christi ex nominibus Dei.

I. Est nomen ipsius Dei. Scriptura enim sacra nullum solet absolutè vocat Deum, nisi solum Deum. Sic Christus *Deus* vocatur. Ioan. 20. 27. 28 *Respondit Thomas & dixit ei. Dominus meus & Deus meus.* Actor. 20. 28. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus, posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Rom. 9. 5. *Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super Deus benedictus in sæcula.* Apoc. 4. 8. *Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas: & in circuitu & intus plena sunt oculis: & requiem non habebant die ac nocte dicentia. Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Versu. 11. *Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* 1. Ioan. 3. 16. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Si toties absolutè vocatur *Deus*, & non est verus vnus *Deus*, cum Patre, quomodo verum

est

est id Exodi 20. 2. *Non habebis Deos alienos.* Et 1. Corinth. 8. 5. 6. *Nobis vnus Deus est.* Et Eph. 4. 6. *Vnus Deus & Pater omnium qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

II. Quia nomen eius Iehoua, quod maximè proprium est veri Dei. Isai. 43. 3. *Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israël, Saluator tuus dedi propitiationem tuam, Ægyptum, Æthiopiam & Saba pro te.* Ierem. 23. 45. 46. *In diebus illis & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ: & faciet iudicium & iustitiam in terra, in diebus illis saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter. Et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.* Zachar. 2. 8. 9. 10. 11. Christo accommodatur dictus locus in nouo testamento, vt capite 1. loco 30.

III. Nomen Altissimus. Id illi conuenit Luc. 1. 32. *Hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Hinc habet nomen super omne nomen. Philip. 2. 9. 10. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, & terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Est super omnia Deus benedictus. Rom. 9. 5. *Quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.*

IV. Nomen

IV. Nomen inuisibile. 1. Tim. 1. 17. *Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum Amen.* Hoc colligitur Matth. 11. 27. vbi nemo nouit filium nisi Pater. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo, & nemo nouit filium, nisi pater, neq; patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Colloss. 1. 15. Imago inuisibilis Dei, *Qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ.* Apoc. 19. 12. 13. *Nomen suum quod est verbum Dei, nemo nouit nisi ipse. Oculi autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine: & vocatur nomen eius, Verbum Dei.*

V. Nomen Dei est Deus gloriæ, vt de patre omnes intelligunt locum Actor. 7. 1. 2. *Dixit autem princeps sacerdotum: Si hæc ita se habent? Qui ait. Viri fratres & patres audite. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cùm esset in Mesopothamia, priusquam moreretur in Charan.* De Christo. 1 Cor. 2. 8. *Quē nemo principum huius seculi cognouit, si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

VI. Rex regum & Dominus dominantium. 1. Tim. 6. 15. *Quem suis temporibus ostendet, beatus & solus potens, Rex regum & Dominus Dominantium.* Tribuitur Christo. Apoc. 17. 14. *Hi cum Agno pugnabunt, & agnus vincet illos; quoniam Dominus Dominorum est, & Rex regum, & qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles.* Ibidem

cap. 19.

cap. 19 16. *Et habet in vestimento, & in fœmore suo scriptum: Rex regum & Dominus Dominantium.*

VII. Deus verus. Deut. 32. 39. *Audi Israël Dominus Deus noster, Dominus vnus est.* De Christo. 1. Cor. 8. 4. 5. 6. *De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus; nisi vnus. Nam etsi sunt qui dicantur Dij, siue in cælo siue in terra, (siquidem sunt Dij multi & Domini multi) Nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia: & nos in illo. Et vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum.*

VIII. Solus Deus Deut. 32. 39. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me, ego occidam & ego viuere faciam: percutiam & ego sanabo, & nemo est qui de manu mea possit eruere.* Conuenit cum Iudæ epistola versu 4. *Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem nostrum Iesum Christum negantes.*

IX. Magnus, Iob. 36. 26. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inæstimabilis.* De Christo Domino conuenit cum Tit. 2. 13. *Exspectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei: & saluatoris nostri Iesu Christi.*

X. Deus pater vnus omnium nostrum. Malach. 2. 10. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisq; nostrum fratrem*

suum;

ſuum, violans pactum patrum noſtrorum. Chriſtus Pater futuri ſeculi. Iſai. 9. 6. *Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus eius ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis.*

CAPVT IV.

Ex attributis diuinis probatur diuinitas Chriſti.

I. Locvs. Ex æternitate. Eſt enim Devs æternus, nec principium habens, nec finem, ſed eſt ipſe principium & finis. Geneſ. 21. 33. *Surrexit autem Abimelech & Phicol princeps exercitus eius, reuerſique ſunt in terram Paleſtinorum. Abraham verò plantauit nemus in Berſabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni.* Plura in Theſauro Biblico noſtro. tit. Deus. Conuenit verò ea æternitas Chriſto Domino, vti ſapientiæ diuinæ. Prouerb. 8. 23. *Ab æterno ordinata ſum & ex antiquis, antequam terra fieret.* Mich. 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſraël & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Quem locum intelligunt de Chriſto, Scribæ. Matth. 2 4. 5. 6. *Et congregans omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei in Bethlehem Iudæ: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam, Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël.*

Ioan. 1. 1. 2 3. *In principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Ibidem. capit. 8. 58. *Dixit eis Iesus. Amen, Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Cap. 17. 5. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset apud te.* Hebr. 7. 3. *Sine Patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* Ibidem cap. 13. 8. *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.* Colos. 1. 16. *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa, in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Psal. 80. 10. *Non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deum alienum.*

II. Ex bonitate Dei. Deus solus bonus. Luc. 18. 19. *Dixit autem ei Iesus. Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.* Psal. 105. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* Christus vt vera sapientia, est imago bonitatis Dei. Sap. 7. 25. 26. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis Omnipotentis Dei sincera: Et ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula, Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Bonus omnino. Matth. 20. 15. *Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam*

est,

est, quia ego bonus sum? Ac demum pastor bonus. Ioan. 10. 11. *Ego sum pastor bonus.* Quod & ibidem probat, quia posuit animam pro ouibus suis.

III. Ex immutabilitate. Deus enim omnino immutabilis. Numer. 23. 19. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec filius hominis vt mutetur. Dixit ergo & non faciet, locutus est, & non implebit?* Malach. 3. 6. *Ego enim Dominus & non mutor, & vos filij Iacob non estis consumpti.* Psalm. 101. 26. 27. 28. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt: tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut operiorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autẽ idem ipse es, & anni tui non deficient.* Quæ verba per omnia D. Paulus Christo Domino accommodat. Hebr. 1. 10. 11. 12. *Et tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuũ tuarum sunt cæli, ipsi peribunt tu autem permanes & omnes vt vestimentum veterascent: & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

IV. Ex immensitate Dei. Psal. 144. 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* 3. Reg. 8. 27. *Ergòne putandum est, quod verè Deus habitet super terram? si enim cælum & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui.* Ierem. 23. 24. *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum dicit Dominus? Nunquid non cælum & ter-*

ram ego impleo dicit Dominus. Hinc Christus descendit de cælo, & est in cælo. Ioan. 3 13 *Et nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cælo.* Et est in medio duorum aut trium illius nomine congregatorum. Matt. 18. 20. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Baruch. 3. 24. 25. *O Israël quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius: Magnus est & non habet finem, excelsus & immensus.* De Christo loquitur. vt vers. 36. 37. 38. *Hic est Deus noster & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

V. Deus solus potens. 1. Timot. 6. 15. 16. *Quem suis temporibus ostendet beatus & solus potēs. Rex regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Cui honor & imperium sempiternum.* At Christus est ille Dominus Deus omnipotens, de quo Apoc. 1. 8. *Ego sum* A. & Ω. *Principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est Omnipotens.* Ibidem, cap. 4. 8. *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas: & in circuitu & intus plena sunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte, dicentia. Sanctus, Sanctus Sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* Cap. 11. 17. *Gratias agi-*

mus

mus tibi Domine Deus Omnipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es : quia accepisti virtutem tuam magnam & regnasti. Cui data omnis potestas. Matth. 28.18. *Et accedens Iesus locutus est eis dicens. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Qui habet hanc potentiam à generatione. Ioan. 5.18.19.20.21.22.23 *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum soluebat Sabbathum, sed & patrem suum dicebat Deū, æqualem se faciens Deo. Respondit itaq; Iesus & dixit eis : Amen, Amen dico vobis : non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem: quæcunq; enim ille fecerit, hæc & filius facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & maiora ei demonstrabit opera, vt vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat: sic & filius quos vult viuificat. Neq; enim Pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem, qui misit filium.* Vt quasi solus consideratus nihil à se possit facere. Versu 30. *Non possum ego à me facere quicquam : Sicut audio, iudico : & iudicium meum iustum est. quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.*

VI. Ex sapientia Dei, cuius non est numerus. Psalm. 146. 5. *Magnus Dominus noster & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.* Et solus sapiens. Rom. 16. 27. *Soli sapienti Deo, per Iesum Christum, cui honor & gloria in sæcula sæculorum : Amen.* In Christo verò omnes

thesauri sapientiæ sunt absconditi. Colloss. 2. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi:* Imò Christus est Dei sapientia. 1. Cor. 1. 24. *Ipsis autem vocatis Iudæis atq; Græcis, Christum Dei virtutem & sapientiam.* Hinc omnia teste *D.* Petro nouit. Ioan. 21. 17. *Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei. Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te: dixit ei, pasce oues meas.* Locum verò Matth. 24. 30. *De die autem illa & hora nemo scit, neq; Angeli cælorum, nisi solus Pater,* Referunt Sancti Patres ad humanitatem Christi, vt sit sensus, nec filius id scit, ex natura suæ humanitatis. Ita Athanasius oratione in illud, omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Cyrillus. nono libro Thesauri. cap. 4. Ambrosius in caput 17. Lucæ. & alij.

VII. Quia habet templum vt Deus, quod colligitur ex Malach. 3. 1. 2. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam meam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum?*

VIII. Inuocatur & adoratur etiam ab Angelis. Hebr. 1. 6. *Et cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

CAPVT

CAPVT V.

Probatur Diuinitas Christi ex operationibus diuinis à scriptura sacra illi tributis.

Locus hic fortissimus est, ex quo conuincit ipse Christus Iudæos, quod in Patre suo sit, & pater in eo. Ioan. 10. 36. 37. 38. *Quem pater sanctificauit & misit in mundum vos dicitis: Quia blasphemas; quia dixi filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis quia pater in me est & ego in patre.* Et ipse & Pater vsq; modo operatur. Ioan. 5. 17. *Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor.*

Primvm ergò opus est creatio, quo solo opere à falsis Dijs discernitur. Ieremiæ. 10. 11. *Sic ergò dicetis eis. Dij qui cælum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub cælo sunt.* Isa. 44. 24. *Hæc dicit Dominus redemptor tuus & formator tuus ex vtero. Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram & nullus mecum.* Iob 9. 8. *Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris.* Psalm. 95. 5. *Quoniam omnes Dij gentium Dæmonia. Dominus autem cælos fecit.* Sed creatio Christo conuenit. Psalm. 32. 6. 7. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Congregans sicut in vtre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.* Prou. 8. 29. *Quando circundabat mari terminum*

ſuum, & legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Ioan. 1. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Ibidem cap. 5. 19. *Amen, amen dico vobis: non poteſt filius a ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunq; enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit.* 1. Cor. 8. 6. *Nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia & nos per ipſum.* Colloſſ. 1. 16. *Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* Heb. 1. 10. *Et tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Verſ. 12. *Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.*

Secundò. Hæc omnia facit, vt diſtinctus ab Angelis, à quibus diſtinguitur. Heb. 1. 13. 14. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusq; ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Nonne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?*

Tertiò eſt cauſa principalis, quæ eſt per ſe prædita neceſſaria, & ſufficiēti virtute ad producendum effectum. Chriſtus autem eſt Dei virtus. 1. Cor. 1. 24. *Ipſis autem vocatis Iudæis atq; Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam:*

Portans

Portans omnia verbo virtutis suæ. Heb. 1. 3. *Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, portansq; omnia verbo virtutis suæ, purgationemq; peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.*

Quartò. Hæc omnia agit arbitratu suo filius, vadit, emittit, vocat, mandat, & omnia obediunt ei. Baruch. 3. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. *Non est qui possit scire vias eius, neq; qui exquirat semitas eius: sed qui scit vniuersa nouit eam & adinuenit eam prudentia sua, qui præparauit terram in æterno tempore & implenit eam pecudibus & quadrupedibus: Qui emittit lumen & vadit: & vocauit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt. Vocatæ sunt & dixerunt: Adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Luc. 8. 25. *Dixit autem illis, vbi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt, adinuicem dicentes. Quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat & obediunt ei?* Et viuificat vt pater. Ioan. 5. 21. *Sicut enim pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & filius quos vult viuificat.*

Quintò idem probat illius omnipotentia, de qua præcedenti capite, loco quinto.

Secvndvm opus est, Conseruatio re-

rum creatarum quæ conuenit Deo. Actor. 17.28. *In ipso enim viuimus, & mouemur & sumus, sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt, ipsius enim & genus sumus.* Et tribuitur Christo. Coll. 1.16. *Quoniam in ipso condita sunt vniuersa, in cælis & in terra, visibilia simul & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatꝰ, siue Potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt* Heb. 1.3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq; omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.*

TERTIVM opus, est cognitio, qua Deus ipse se propriè cognoscit, quæ soli Deo tribuitur 1. Cor. 2. 11. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus Dei.* Rom. 11.33. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quæ incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?* Sed hanc cognitionem Christus sibimetipsi tribuit. Matt. 11. 27. *Omnia mihi tradita sunt á patre meo, & nemo nouit filium nisi Pater: neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Ioan. 10.15. *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animã meã pono pro ouibus meis.*

QVARTVM opus, est cognitio cordium & occultorum. Esa. 4.23. *Qui dat secretorum scrutationes, quasi non sint, iudices terræ velut inane fecit.* 3. Reg. 8. 39. *Tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies vt des vnicuique secundũ omnes vias suas, sicut videris cor eius, (quia tu nosti*

tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum. Ier. 17. 9. 10. *Prauum eſt cor omnium & inſcrutabile, quis cognouit illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probãs renes, qui do vnicuiq; iuxta viã ſuam, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum.* Sed hæc omnia conueniunt Chriſto. Ioan. 2. 25. *Et quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.* Ibid. capit. 13. 19. *Amodo dico vobis priusquam fiat: vt cùm factũ fuerit credatis, quia ego ſum.* 1. Petr. 1. 10. 11. *Scrutantes in quod vel quale tẽpus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones & poſteriores glorias.* Apoc. 2. 8. *Et filios eius interficiã in morte, & ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes & corda, & dabo vnicuiq; veſtrum ſecundum opera ſua.*

Qvintvm opus eſt ſaluatio, quæ conuenit Deo. Pſalm. 67. 21. *Deus noſter Deus ſaluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.* Iſa. 45. 21. *Annunciate & venite, & conſiliamini ſimul, quis auditum fecit hoc ab initio, & tunc prædixit illud. Nunquid nõ ego Dominus, & nõ eſt vltra Deus abſq; me? Deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me.* Hoc opus tribuitur Chriſto. Matth. 1. 21. *Et vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Ibid. 18. 11. *Venit enim filius hominis ſaluare quod perierat.* Hinc eſt ſaluator mundi. Ioannis. 4. 14. *Sed aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis, in vitam æternam.* Verſu 42. *Hic eſt verè ſaluator mundi.*

Philip.

Philip. 3. 20. *Nostra autem conuersatio in cœlis est, vnde etiam Saluatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum.* Auctor salutis nostræ. Heb. 2. 10. *Decebat enim eum propter quem omnia & per quem omnia, qui multos filios in gloriã adduxerat, auctorem salutis eorum per passionẽ consummari.*

SEXTVM opus est sanctificatio. Leu. 20. 8. *Custodite præcepta mea & facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos.* Quod tribuit D. Paulus Christo, Ephes. 5. 26. *Vt illam sanctificaret mundans lauacro aquæ, in verbo vitæ.* Heb. 2. 11. *Qui enim sanctificat & qui sanctificantur, ex vno omnes, propter quam causam, non confunditur fratres eos vocare dicens.*

SEPTIMVM opus. Electio prædestinatorum, Ephes. 1. 4. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate.* Quæ electio conuenit Christo Domino. Ioan. 6. 10. *Respondit eis Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus est?* Ioan. 13. 18. *Non de omnibus dico: ego scio quos elegerim, sed vt impleatur scriptura. Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum.* Ibidem cap. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vt eatis & fructum afferatis & fructus vester maneat: vt quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo det vobis.* versu 19 *Si de mundo fuissetis: mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*

OCTA

Octavvm opus est, illuminatio interna ad cognoscendum veritatem reuelatam, quæ conuenit Deo. Hinc pretiosis lapidibus comparatur. Isa. 54 12. *Et ponam Iaspidem propugnacula tua & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Ioan. 6. 45. *Est scriptum in Prophetis: & erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à patre, & didicit venit ad me.* Matt. 16. 17. *Respondens autem Iesus dixit eis: Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est.* Sed & hoc conuenit Christo. Ioan. 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundũ* Matt. 11. 27. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo, & nemo nouit filium nisi Pater: neq; Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Ephes. 5. 14. *Propter quod dicit, surge qui dormis, & illuminabit te Christus.*

Nonvm opus vocatio & tractio ad Ecclesiam. Rom. 8. 28. 29. 30. *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Ioan 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* De Christo. Matth. 4. 21. *Et procedens inde, vidit*

alios

alios duos fratres Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & vocauit eos. Ibidem cap. 9. 13. *Euntes autem discite, quid est misericordiam volo & non sacrificium, non enim veni vocare iustos sed peccatores,* Marc. 2. 14. *Et cùm præteriret, vidit Leui Alphæi sedentem ad Teloniũ, & ait illi sequere me.* Luc. 5. 32. *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Ioan. 10. 16. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor.* Apocalyp. 3. 20. *Ecce sto ad ostium & pulso: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.*

DECIMVM opus, est iustificatio impij & remissio peccatorum. Rom. 8. 33. *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Esa. 43. 25. *Ego sum. Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Marc. 2. 7. *Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Quod etiam Christo conuenit. Isa. 53. 7. ℟. *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur: in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Luc. 5. 20. 21. *Quorum fidem vt vidit, dixit. Homo remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare*

cogitare Scribæ & Phariſæi dicentes: Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? Ibidem, capite. 7. 49. *Et cœperunt qui ſimul accumbebant dicere intra ſe: Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit?* Matth. 9. 1. 2. *Et aſcendens in nauiculam transfretauit & venit in ciuitatem ſuam, & ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum dixit paralytico. Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Marc. 2. 5. *Cum autem vidiſſet Ieſus fidem illorum ait paralytico. Fili dimittuntur tibi peccata tua.* Ioannis. 1. 29. *Altera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Verſu. 36. *Et reſpiciens Ieſum ambulantem dicit. Ecce agnus Dei.* Hebr. 1. 3. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius, portansq; omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.*

Vndecimvm opus, Internum regnum & gubernatio ſpiritualium amicorum. Pſalm. 22. 1. *Dominus regit me & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Conuenit Chriſto. Ioannis. 15. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere.* Matth. 28. 20. *Docentes eos ſeruare omnia, quæcunq; mandaui vobis, & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi.*

Dvode-

DVODECIMVM opus est, Consolatio interna piorum in tribulationibus. 2. Cor. 1. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis; qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* De Christo verò. Matth. 28. 29. 30. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* 2. Cor. 1. 5. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.*

DECIMVM tertium opus, Missio operariorum & prophetarum. Ierem. 7. 25. *A die qua egressi sunt patres eorum de terra Ægypti vsq; ad diem hanc. Et misi ad vos omnes seruos meos Prophetas per diem, consurgens diluculo & mittens.* Sic Christus Apostolos, Pastores, Prophetas, Doctores. Matth. 10. 1. *Et conuocatis duodecim discipulis, dedit illis potestatem Spirituum immundorum, vt eijcerent eos & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Versu 5. 6. 7. 8. *Hos duodecim misit Iesus, præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierūt domus Israël. Euntes autem prædicate dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date.* Matth. 23. 33. 34. 35. 36.

Serpentes

Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ideo dico vobis. Ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & Scribas & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatē: vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. 1. Cor. 12. 28. 29. 30. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores?* Ephes. 4. 11. 12. 13. 14. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumuentionem erroris.* Marc. 3. 13. 14. 15. *Et ascendens in montem vocauit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum, & fecit vt essent duodecim cum illo, vt mitteret eos prædicare, & dedit illis potestatem curandi infirmitates & eijciendi Dæmonia.* Ibidem cap. 6.

7 8. 9. *Et vocauit duodecim & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum, & præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum: non peram, non panem, neq; in zonas æs, sed calceatos sandaliis & ne induerentur duabus tunicis.* Luc. 6. 13. *Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis, (quos & Apostolos nominauit.)* Ibidem. cap 9. 1. 2. *(conuocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia Dæmonia, & vt languores curarent, & misit illos prædicare regnum Dei & sanare infirmos.* Capit 10 1. 2. 3. 4. *Post hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus: Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis.* Ioan. 20 2. *Pax vobis: sicut me misit pater, & ego mitto vos.*

DECIMVM quartum opus. Institutio Sacramentorum, vti Deus instituit circumcisionem. Genes. 17. 10. *Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum* Atq; Christus instituit Sacramenta Baptismatis, Eucharistię, Pœnitentiæ, & alia, vt singula suis titulis in thesauro nostro Biblico ostendimus.

Di

Decimvm quintum opus. Operatio efficax & principalis in ipsorum Sacramentorum vsu. Deut. 30. 6. *Circũcidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor seminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere.* Sic Christus in Baptismate. Ioan. 1. 32 33. *Et testimonium perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.*

Decimvm sextum opus. Suscitatio mortuorũ & maximè in nouissimo die. Ioan. 5. 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat; sic & filius quos vult viuificat.* Quod & conuenit Christo. Ibidem versu. 25. 26. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent: Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic & dedit filio habere vitam in semetipso.* Ibidem. cap. 6. 39. 40. *Hæc est autem voluntas eius qui misit me, Patris; vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est autem voluntas Patris mei qui misit me: vt omnis qui videt filium, & credit in eum habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Sic excitat mortuos. Matt. 9. 25. 26. *Et cum ejecta esset turba, intrauit & tenuit manum eius & surrexit puella.* Ibid. cap. 27. 52. *Et monumenta aperta sunt,*

& multa corpora sanctorum, qui dormierant surre-
xerunt. Luc. 7. 13. 14. 15. *Quam cùm vidisset Do-*
minus, misericordia motus super eam, dixit illi: No-
li flere, & accessit & tetigit loculum. (Hi autem qui
portabant steterunt) & ait: Adolescens tibi dico sur-
ge, & resedit qui erat mortuus & cœpit loqui, & de-
dit illum matri suæ. Ibidem cap. 8. 54. *Ipse autem*
tenens manum eius clamauit dicens : puella surge.
Ioan. *11. 49. 50. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomi-*
ne, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis. Vos nesci-
tis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt v-
nus moriatur homo pro populo, & non tota gens pe-
reat. Isa. 26. 19. *Viuent mortui tui, interfecti m-*
resurgent, expergiscimini & laudate qui habitatis
puluere, quia ros lucis ros tuus, & terram gigantu-
detrahes in ruinam, quæ potestas adeo excellens fu-
in Christo, vt illam etiam alijs communicaue-
Matth. *10. 8. Infirmos curate, mortuos suscitate, l-*
prosos mundate, dæmones eijcite, gratis accepistis gr-
tis date. Quod fit Matt. 11. 5. *Cæci vident, clau-*
ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mort-
resurgunt, pauperes euangelizantur. Et infra lib.
2. cap. 13. In thesauro nostro Biblico tit. Mon-
puncto 21.

DECIMVM septimum opus, miracul-
rum operatio, facit enim Deus mirabilia magn-
solus. Psalm. 71. 18. *Benedictus Dominus Deus*
sraël, qui facit mirabilia magna solus. Quæ ita fec-
Christus vt euangelia sint plena, facit enim om-
nia quæ Pater. Hinc Ioan. 10. 35. 36. 37. 38. 39. S-
illo

illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: quem Pater sanctificauit, & misit in mundum vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum? Si non facio opera patris mei nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia pater in me est & ego in patre. Quærebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum. Sic populus vidit mirabilia quæ fecit Christus. Matt. 21. 15. *Videntes autem Principes sacerdotum & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid: indignati sunt.* Luc. 6. 26. *Et stupor apprehendit omnes & magnificabant Deum, & repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie.* Et quidem hæc propria auctoritate, quæ tanta est, vt eam etiam suis Apostolis & Christianis communicet. Matt. 10. 7. 8. vt superius diximus. Marc. 6. 12. 13. *Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent: & Dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos & sanabant.* Luc. 9. 1. 2. *Conuocatis autem duodecim Apostolis dedit illis virtutem & potestatem super omnia Dæmonia, & vt languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei & sanare infirmos.* Vers. 6. *Egressi autem circumibãt per castella euangelizantes & curantes vbiq3.* Ibidem, cap. 10. 8. 9. *Et in quamcumq3 ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, & curate infirmos qui in illa sunt, & dicite illis. Appropinquat in vos regnum Dei.* vers. 17. *Reuersi sunt*

autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia subiciuntur nobis in nomine tuo, Marc. 16. 17. 18 19. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent & benè habebunt. Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet á dextris Dei.* Vide plura infra lib. 4. cap. 13.

DECIMVM octauum, est glorificatio. Psal. 83. 13. *Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.* Vers. 12. *Gloriam & gratiam dabit Dominus.* Sic Christus vitam æternam. Ioan. 10. 27. 28. *Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manibus meis,* Rom. 2. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum Iudæo primum & Græco: non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicunq; enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem*

cem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die cum iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum per Iesum Christum Hebr. 2. 10 *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Huc spectat corona iustitiæ, quam ab eo iudice exspectat D. Paulus. 2. Tim. 4. 7. 8. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui fidem seruaui, in reliqua reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex, non solum autem mihi; sed & iis qui diligunt aduentum eius.*

CAPVT VI.

Probatur diuinitas Christi ex sacris literis, eo quod eodem diuino cultu prosequimur Christum quo Patrem.

Primò id in genere ostendit Christus ipse. Ioan. cap. 5. 22. 23 *Neq; enim Pater iudicat quenquam: Sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium; sicut honorificant Patrem: qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.*

Secundò, in gloria Patris venit. Matt. 16. 27. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuiq; secundum opera eius* Vocat maiestatem suam. Matth. 25. 31. *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.*

Tertiò. Quia habet eaſdem proprietates & attributa cum Patre, vt in præcedentibus capite quarto & quinto oſtendimus.

Quartò. Quia omnes partes cultus diuini tribuit Chriſto, Scriptura ſacra in particulari.

PRIMVS Dei cultus eſt fides in Deum, at in Chriſtum credere debemus. Ioan. 3. 14. 15. 16. 17. 18. *Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipſum non pereat ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum: ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filii Dei.* Verſ 36 *Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Ioan. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Ibidem cap. 6. 35. *Dixit autem ei Ieſus. Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet. & qui credit in me, non ſitiet vnquam.* Verſ. 40. *Hæc eſt autem voluntas patris qui miſit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Verſ 47. *Amen amen dico vobis. Qui credit in me habet vitam æternam.* Cap. 7. 38. *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura,*

ptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Cap. 14. 1.2. *Non turbetur cor vestrum, credutis in Deū & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt si quo minus dixissem vobis: quia vado parare vobis locum.* Sic credunt in eum discipuli. Ioan. 2. 11 *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ & crediderunt in eum discipuli eius.* Sic quoq; Samaritani. Ioan. 4. 39. *Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis.* Plura de hac re, tit. Credo. part. 7. in thesauro biblico.

Secvndvs Dei cultus est spes. Sperandum verò in Christo. Psalm. 2. 13. *Cùm exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.* Isa. 11. 10. *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Quem locum citat D. Paulus Rom. 15. 8. 9. 10. 11. 12. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit. Laudate gentes Dominum & magnificate eum omnes populi: Et rursus Isaias ait. Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.* Speramus autem in Christo. 1. Cor. 15. 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* E-

phes. 1. 12. *Vt simus in laudem gloriæ eius, nos, qui ante sperauimus in Christo.* Phil. 2. 19. *Spero autem in Domino Iesu, Timotheum me citò mittere ad vos: vt & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt.* Ipse enim est spes gloriæ nostræ. Collos. 1. 27. *Quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriæ.*

TERTIVM opus est dilectio Dei præ omnibus nobis charis. Matt. 10. 37. 38. 39. *Qui amat patrẽ aut matrem plus quam me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus, & qui non accipit crucem suam & sequitur me non est me dignus. Qui inuenit animam suam perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Ibid. cap. 16. 24. *Tunc Iesus dixit discipulis suis. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Marc. 8. 34. 35. 36. 37. 38. *Et conuocata turba cum discipulis suis, dixit eis, Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluã facere, perdet eam: Qui autem perdiderit animam propter me & euangelium saluam faciet eam. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum & detrimentum animæ suæ faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? Qui enim me confessus fuerit & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice, & filius hominis confitebitur eum cùm venerit in gloria patris sui, cum Angelis sanctis.* Luc. 9. 23.

9 23. 24. 25. 26. *Dicebat autem ad omnes. Si quis vult post me venire abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidiè & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam. Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat? Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris & sanctorum Angelorum.* Cap. 14. 26. 27. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* O quam pauci veniunt ad hunc charitatis diuinæ gradum?

QVRATVM opus est, cultus obedientiæ. Actor. 5. 29. *Respondens autem Petrus & Apostoli dixerunt. Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Ita Christus sibi obedientibus est causa salutis. Heb. 5. 9. *Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Cui & mare & venti obediũt. Matt. 8. 27. *Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei.* Luc. 8. 25. *Dixit autem illis: Vbi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt ad inuicem dicentes. Quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?* Et immundi Spiritus. Marc. 1. 27. *Et mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se, dicentes. Quidnam est hoc?*

quanam

quanam doctrina hæc noua? Quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. His respondet similitudo. Matth. 7. 24. 25. *Omnis ergò qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram.*

QVINTVS cultus, timor Dei. Psalm. 2. 10. 11. 12. 13. *Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Cùm exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.* Qui totus psalmus est de Christo, vt sæpius in hunc finem in alijs scripturæ locis citatur. 1. Cor. 10. 9. *Neq; tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & a serpentibus perierunt.*

SEXTVS cultus, gloriari in illo. Galat. 6. 13. 14. *Neq; enim qui circumciduntur legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi; vt in carne vestra glorientur. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus, & ego mundo.* Phil. 3. 3. *Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes.* Qui est spes gloriæ. 1. Colloss. 27. vt in secundo cultu diximus. In quo & est gloria nostra, & Euangelij, & Ecclesiæ. Rom. 15. 17. *Habeo igitur gloriam*

gloriam in Christo Iesu ad Deum. 2. Cor. 4. 4. *In quibus Deus huius seculi excœcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Ibidem cap. 8. 23. *Siue pro Tito, qui est socius meus & in vobis adiutor siue fratres nostri Apostoli Ecclesiarum gloriæ Christi.* Isa. 42. 8. *Ego Dominus hoc est nomen meum, gloriam meam alteri nõ dabo, & laudem meam sculptilibus.*

Septimvs cultus. Gratiarum actio, quæ vt conuenit Deo, ita & Christo. 1. Timot. 1. 12. *Gratias ago ei, qui me confortauit, Christo Iesu Domino nostro; quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio.* Apoc. 11. 12. *Gratias agimus tibi Domine Deus Omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam & regnasti.*

Octavvs, iurare per nomen eius, vti facit D. Paulus. Romanorum. 9. vers. 1. 2. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto: quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.*

Nonvs, adoratio Dei. Deut. 6. 13. *Caue diligenter, ne obliuiscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis.* Matth. 4. 10. *Tunc dicit ei Iesus. Vade Satana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adoras*

adorabis & illi soli seruies. Christus verò adorandus ab Angelis. Psalm. 96. 8. *Adorate eum omnes Angeli eius, audiuit & lætata est Sion, & exultauerunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine.* Heb. 1. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius.* A Regibus omnibus. Psalm. 71. 11. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ: Omnes gentes seruient ei.* Quod fit Matt. 2. 8. *Et mittēs illos in Bethlehem, dixit, Ite, & interrogate diligenter de puero; & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt ego veniens adorem eum.* Versu. 11. *Et intrantes inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum. thus & mirrham,* & infiniti alij vt titul. Adoro. in thesauro Biblico.

DECIMVS. Seruitus Dei. Deut. 6. 13. *Cauē diligénter ne obliuiscaris Domini: qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis.* Matt. 4. 10. vt in superiori membro nono. Sic Angeli Christo ministrarunt. Matt. 4. 11. *Tunc reliquit eum Diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Coll. 3. 23. 24 *Quodcunq; facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo seruite.* quem locum egregiè vrget D. Athanasius sermone tertio contra Arrianos.

VNDECIMVS est initiatio in nomine Dei

Dei. Matth. 28. 18. 19. *Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Actor. 19. 5. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu.*

Duodecimus Est inuocatio nominis Dei, vt donorum gratiæ largitoris. De Christo. Isa. 45. 2. *Ego autem ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram. & vectes ferreos confringam & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israël.* 1. Cor. 1. 2. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini Iesu Christi, in omni loco ipsorum & nostro.* Actor. 7. 58. 59. *Et lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem: Domine Iesu suscipe Spiritum meum. Positis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum, & cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino. Saulus autem erat consentaneus neci eius.*

CAPVT VII.

Probatur diuinitas Christi ex scripturis æqualitatem & vnitatem cum patre declarantibus.

Ioan. 5. 18. *Propterea ergò magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum soluebat Sabbathum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem*

lem se faciens Deo. Ibidem. *10. 39. Ego & Pater vnum sumus.* Capit. *14. 19, Dicit ei Iesus. Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe qui videt me, videt & Patrem.* Capit. *17. 10. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis.* Vide quoq; *1.* Ioannis. 5. 7. vbi hi tres, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus vnum sunt. Philip. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo.* De quibus locis superius etiam actum est.

* * *

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE CHRISTI IESV ASSVMPTA HVMANA NATVRA.

CAPVT I.

CHRISTI INCARNATIO IN SACRIS litteris promittitur.

GENES. 3. 5. *Inimicitias ponã inter te & mulierem, & semen tuũ & semẽ mulieris: ipsa conteret caput tuũ, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Ibid. cap. 12. 3. *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atq; in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Cap. 17. 19. *Et ait Deus ad Abraham. Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisq; nomen eius Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum & semini eius post eum.* Vers. 21. *Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.* Cap. 22. 16. 17. 18. *Per meipsum iurauidicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo*

vnigenito propter me, benedicam tibi, & multi
plicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & velut are-
nam quæ est in littore maris. Possidebit semen
tuum portas inimicorum suorum; & benedicẽtur in
semine tuo omnes gentes terræ: quia obedisti voci
meæ. Cap. 25. 14. 15. *Eritq; semen tuum quasi pul-*
uis terræ, dilataberis ad occidentem, & orientem, &
septentrionem, & meridiem, & benedicentur in te,
& in semine tuo cuncta tribus terræ. Et ero cu-
stos tuus quocunq; perrexeris, & reducam te inter-
ram hanc, nec dimittam nisi compleuero vniuer-
quæ dixi. Capit 49. 10. 11. 12. *Non auferetur sce-*
ptrum de Iuda & dux de femore eius, donec veniat
qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium.
Ligans ad vineam pallium suum, & ad vitem
fili mi asinam tuam. Lauabit in vino stolam suam,
& in sanguine vuæ pallium suum: pulchriores sunt
oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.
Num. 24. 17. 18. 19. *Videbo eum, sed non modò, non*
tuebor illum, sed non propè: Orietur stella ex Iacob,
& consurget virga de Israël & percutiet duces Moab,
vastabitq; omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio
eius: hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israël vero
fortiter aget. De Iacob erit qui dominetur, & per-
dat reliquias ciuitatis. Deut. 18. 15. *Prophetam*
de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscita-
tabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.
Vers. 18. 19. *Prophetam suscitabo eis de medio*
fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in
ore eius, loquetur ad eos omnia quæ præcepero illi.

qui

qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam. 1. Reg. 2. 10. Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cœlis tonabit: Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. Vers. 35. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. 2. Reg. 7. 12. 13. Cumq; completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Huc spectat totus penè psalmus secundus. Psal 21. 17. 18. 19. Quoniam circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt ossa mea. Ipsi vero considerauerunt & inspexerunt in me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Psalm. 109. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex vtero ante Luciferum genui te. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. Iudicabit in nationibus implebit ruinas: cõquassabit capita in terra multorum. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Isa. 1. 3. Cognouit bos

possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Ibid. cap. 7. 14. 15. Propter hoc dabit Dominus vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum. Cap. 8. 3. 4. Et accessi ad prophetissam & concepit & peperit filium. Et dixit Dominus ad me. Voca nomen eius accelera spolia detrahere, festina prædari: Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ corã rege Assyriorum. Cap. 9. 2. 3. 4. 6. 7. 8. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia: Iugum enim oneris eius & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian: Quia omnis violenta præparatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem, & cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius; & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum sedebit; vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodo vsq; in sempiternum: Zelus Domini Exercituum

faciet hoc. Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israël. Cap. 11. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini: non secundum visionem oculorum iudicabit, neq; secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium, & erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum Agno & pardus cum hædo accubabit: Vitulus & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit; manum suam mittet. Non nocebunt & non occident in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini: sicut aqua maris operientis. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Cap. 28. 16. 17. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidē, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum: Qui crediderit, non festinet, & ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura: & subuertet grando spem mendacij, & protectionem aquæ in-*

undabunt. Capit. 40. 8. 9. 10. 11. *Exsiccatum est* fœnum & cecidit flos: verbum autem Domini nostri manet in æternum. Super montem excelsum ascend tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine tu vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem: exalta no timere, dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus noster, ecc Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus i lius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit fœtas ipse portabit. Cap. 42. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. E ce seruus meus, suscipiam eum, electus meus, compl cuit sibi in illo anima mea: dedi Spiritum me super eum, iudicium gentibus proferet. Non c mabit, neq; accipiet personam, nec audietur vox e foris. Calamum quassatum non conteret, & lin fumigans non extinguet: in veritate educet iu cium: & legem eius insulæ exspectabunt. Ha Dominus Deus creans cælos, & extendens eos, firm terram, & quæ germinant in ea, dans flatum popu qui est super eam, & spiritum calcantibus eam. E Dominus vocaui te in iustitia, & apprehendi m num tuam, & seruaui te, & dedi te in fœdus popu & lucem gentium: Vt aperires oculos cæcorum, & duceres de conclusione vinctum, de domo carceris dentes in tenebris. Ego Dominus, hoc est nom meum, gloriam meam alteri nō dabo, & laudem m sculptilibus. Capit. 45. 1. 2. 3. Hæc dicit Domin Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexterā, & su yciam ante faciē eius gentes, & dorsa regum vertam & aperiam coram eo ianuas & porta non claudentur

Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringã, & dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum: vt scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israël. Cap. 49. 1 2. 3 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Audite insulæ & attendite populi de longè: Dominus ab vtero vocauit me, de vētre matris meæ recordatus est nominis mei: & posuit os meum quasi gladiũ acutum in vmbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me. Et dixit mihi. Seruus meus es tu Israël, quia in te glorificabor. Et ego dixi: In vacuum laboraui sine causa, & vanè fortitudinem meã consumpsi: ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. Et nunc dicit Dominus, formans me ex vtero seruũ sibi, vt reducam Iacob ad eum, & Israël non congregabitur: & glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit. Parũ est, vt sis mihi seruus ad suscitand[illegible]bus Iacob, & feces Israël conuertendas. Ecce de[illegible] in lucẽ gentiũ, vt sis salus vsq; ad extremũ terræ. Hæc dicit Dominus redẽptor Israël, sanctus eius, ad contemptibilẽ animã, ad abominatã gentẽ, ad seruum dominorũ: Reges videbũt, & consurgẽt principes, & adorabunt propter Dominũ: quia fidelis est, & sanctũ Israël, qui elegit te. Hæc dicit Dominus, in tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & seruauite & dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram & possideres hæreditates dissipatas: vt diceres his qui vincti sunt, exite. Et his qui in tenebris, reuelamini.

Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eo-
rum : Non esurient neq; sitient, & non percutiet
eos æstus & sol: quia miserator eorum reget eos, & ad
fontes aquarum potabit eos. Et ponam omnes mon-
tes meos in viam & semitæ meæ exaltabuntur. Ec-
ce isti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone &
mari, & isti de terra australi. Laudate cæli & exul-
ta terra, iubilate montes laudem: quia consolatus est
Dominus populum suum, & pauperum suorum mi-
serebitur. Capit. 50. 6. 7. 8. *Corpus meum dedi*
percutientibus & genas meas vellentibus : faciem
meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus
in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum
confusus. Ideo posui faciem meam vt petram du-
rissimam, & scio quoniam non confundar: Iuxta est
qui iustificat me. Quis contradicet mihi? Stemus
mul, quis est aduersarius meus? accedat ad me.
Capit. 52. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *Parauit Dominus*
brachium sanctum suum in oculis omnium gentium,
& videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.
Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tange-
re, exite de medio eius : mundamini qui fertis vasa
Domini. Quoniam non in tumultu exibitis, nec in
fuga properabitis. Præcedet enim vos Dominus, &
congregabit vos Deus Israël. Ecce intelliget seruus
meus, exaltabitur & eleuabitur & sublimis erit valde.
Sicut obstupuerunt super te multi : sic inglorius
erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios
hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum
continebunt reges os suũ: quia quibus non est narratũ
de

de eo, viderunt: & qui non audierunt, contẽplati sunt. Capit. 53. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti, non est species ei, neq; decor, & vidimus eum, & non erat aspectus: & desideravimus eum: despectum & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius, & despectus: vnde neo reputauimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit: & posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium. Propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & diuites pro morte sua: eo quòd iniquitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur. In

scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos & fortium diuidet spolia: pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Cap. 59. 19. 20. 21. *Et timebunt qui ab occidente, nomen Domini, & qui ab ortu solis, gloriam eius: Cùm venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit: Et venerit Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodò & vsq; in sempiternũ.* Cap. 60. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Surge illuminare Ierusalẽ; quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis & affluës, mirabitur & dilatabitur cor tuũ, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi: Inundatio camelorum operiet te: dromedarij, Madian & Epha: Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes. & laudem Domino annunciãtes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi: arietes Nabaioth ministrabũt*

tibi

tibi: offerentur super placabili altari meo, & domum maiestatis meæ glorificabo. Qui sunt isti, qui vt nubes volant & quasi columbæ ad fenestras suas? Me enim insulæ exspectant, & naues maris in principio: vt adducã filios tuos de longè: Argentum eorum, & aurum eorũ cum eis nomini Domini Dei tui, & sancto Israël, quia glorificauit te, & ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi: in indignatione enim mea percussi te: & in reconciliatione mea miserius sum tui. Et aperiẽtur portæ tuæ iugiter; die ac nocte non claudẽtur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non seruierit tibi, peribit: & gentes solitudine vastabũtur. Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus, & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo. Et veniẽt ad te curui filij eorum qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini Sion sancti Israël. Pro eo quod fuisti derelicta & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum gaudium in generationem & generationem. Et suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis: & scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum: & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum, & ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. Non audietur vltrà iniquitas in terra

tua

tua: vastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltrà sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Cap. 62. 11. 12. *Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Et vocabunt eos populus sanctus, redempti à Domino. Tu autem vocaberis quæsita ciuitas, & non derelicta.* Ierem. 23. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnib⁹ terris, ad quas eiecero eos illuc: & conuertā eos ad rura sua, & crescent & multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores & pascent eos, non formidabunt vltrà, & non pauebunt: & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus. Ecce dies veniunt & suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda & Israël habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltrà: viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Ægypti; sed viuit Dominus, qui eduxit & adduxit semen domus Israël de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc, & habitabunt in terra sua.* Ibid. cap. 30. 9. *Sed seruient Domino Deo suo, & Dauid*

Dauid regi suo, quem suscitabo eis. Cap. 33. 15. 16. *In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda & Ierusalem habitabit confidenter, & hoc est nomẽ quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Vers. 20. 21. 22. *Hæc dicit Dominus: Si irritũ potest fieri pactum meũ cum die, & pactum meũ cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo: & pactũ meum irritũ esse poterit cum Dauid seruo meo, vt nõ sit ex eo filius qui regnet in throno eius, & Leuitæ & sacerdotes ministri mei. Sicuti enumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arena maris: sic multiplicabo semen Dauid serui mei, & Leuitas ministros meos.* Vers. 25. 26. *Hæc dicit Dominus: Si pactum meum inter diem & noctem, & leges cælo & terræ non posui: equidem & semen Iacob & Dauid serui mei proiciam, vt non assumam de semine eius principes seminis Abraham, Isaac, & Iacob: Reducam enim conuersionem eorum, & miserebor eis.* Ezech. 17. 22. 23. 24. *Hæc dicit Dominus Deus: & sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam: de vertice ramorum eius tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum & eminentem. In monte sublimi Israël plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile sub vmbra frondium eius nidificabit. Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile: & siccaui lignum viride, & frondere*

fe-

feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, & feci. Ibid. capit. 34. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. *Propterea pastores audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos vt vltrà non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltrà eis in escam: quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requirã oues meas, & visitabo eas; sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de pop-lis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ, in pascuis vberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israël erunt pascua eorum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël. Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat, reducam, & quod contractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte custodiam, & pascam illas in iudicio.* Sic vers. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. *Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas seruum meum Dauid, ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps*

in

in medio eorum, ego Dominus locutus sum. Et faciã cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra, & qui habitant in deserto securi dormient in saltibus. Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, & deducam imbrem in tempore suo; & pluuiæ benedictionis erunt, & dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum & erunt in terra sua absq; timore, & scient quia ego Dominus, cùm contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi; & non erunt vltrà in rapinam in gentibus, neq; bestiæ terræ deuorabunt eos: sed habitabunt confidenter absq; vllo terrore, & suscitabo eis germen nominatum, & non erunt vltrà imminuti fame in terra, neq; portabunt vltrà opprobrium gentium. Et scient quia Dominus Deus eorum cum eis, & ipsi populus meus domus Israël: ait Dominus Deus. Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis, & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus. Cap. 37. 23. 24. 25. 26. 27. 28. *Neq; polluentur vltrà in idolis suis, & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis: & saluos eos faciam de vniuersis sedibus, in quibus peccauerunt, & emũdabò eos, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus. Et seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum, in iudicijs meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea. Et habitabunt super terram, quam dedi seruo meo Iacob, in qua habitauerunt patres vestri; & habitabunt super eã ipsi, & filij eorũ, & filij filiorum eorũ vsq; in sempiternũ. Et Dauid seruus meus princeps eorũ in perpetuũ. Et*

per cu-

percutiã illis fœdus pacis, pactũ sempiternũ erit eis; & fundabo eos; & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum vsq; in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israël, cùm fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum. Dan. 7. 13. 14. 15. Aspiciebam ergò in visione noctis: & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat; & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. Horruit Spiritus meus, ego Daniel territus sum in his & visiones capitis mei conturbauerunt me. Ibid. cap. 9. 23. 24. 25. 26. 27. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es; tu ergo animaduerte sermonem & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sãctus sanctorum. Scito ergò & animaduerte: ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsq; ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt; & rursum ædificabitur platea, & murus in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas

duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsq; ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Mich 5. 1. 2. 3 4. 5. *Nunc vastaberis filia latronis, obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam iudicis Israel. Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël, & egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis. Propter hoc dabit eos vsq; ad tempus, in quo parturiens pariet & reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israël. Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui, & conuertentur, quia nunc magnificabitur vsq; ad terminos terræ. Et erit iste pax: cùm venerit Assyrius in terram nostram, & quando calcauerit in domibus nostris, & suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates homines.* Aggæi. 2. 8 9. 10. *Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus Exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus Exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ, dicit Dominus Exercituum, & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus Exercituum.* Zachar. 2. 10. 11. 12. 13. *Lauda,*

& lætare filia Sion : quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus Exercituum misit me ad te. Et possidebit Dominus Iudam partem suam in terra sanctificata: & eliget adhuc Ierusalem. Sileat omnis caro á facie Domini: quia cõsurrexit de habitaculo sancto suo. Ibid. cap. 3. 8. 9. Audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te : quia viri portendentes sunt: ecce enim ego ADDVCAM SERVVM MEVM ORIENTEM. Quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu : super lapidem vnum septem oculi sunt. Ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus Exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna. Cap. 9. 9. 10. 11. Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus venit tibi iustus, & saluator ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari vsq; ad mare, & à fluminibus vsq; ad fines terræ. Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Vers. 15. 16. 17. Dominus Exercituum proteget eos, & deuorabunt & subijcient lapidibus fundæ: & bibentes inebriabuntur quasi a vino, & replebuntur vt phialæ, & quasi cornua altaris.. Et saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi sui : quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius. Capit. 12. 10.

11. 12.

11. 12. *Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum; & aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum: vt doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Et plangent terra, familiæ & familiæ seorsum, familiæ Domus Dauid seorsum.* & cætera. Malach. 1. 10. 11. *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & intendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Exercituum; & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis vsq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus. Et in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomẽ meum in gentibus, dicit Dominus Exercituum.* Ibidem capit. 3. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Ecce ego mitto angelum meũ, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus Exercituum: & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum? Ipse eum quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum; & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Et colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erũt Domino offerẽtes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda & Ierusalẽ sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui. Et accedã ad vos in iudicio,*

& ero testis velox maleficis & adulteris & periuri & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus Exercituum. Ego enim Dominus, & non mutor; & vos filij Iacob non estis consumpti. Vide etiam sequens caput secundum & tertium.

CAPVT II.

De matre Messiæ propositiones duæ.

PROPOSITIO I.

MAter Christi Maria debuit concipi sine macula; est enim arca Domini ex lignis incomputribilibus. Exod. 25. 10.11. *Arcam de lignis setim compingite, cuius longitudo habeat duos & semis cubitos, latitudo, cubitum & dimidium, altitudo, cubitum similiter ac semissem. Et inducabis eam auro mundissimo intus & foris, faciesque supra coronam auream per circuitum.* Thronus Salomonis ex ebore candidissimo. 3. Reg. 10. 18. 19. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem: & vestiuit eam auro fuluo nimis, quibus habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat a parte posteriori, & duæ manus hinc atq; inde tenentes sedile; & duo leones stabant iuxta manus singulas.* Domus est à sapientia summa ædificata. Prou. 9. 1. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Tabernaculum Domini quod sanctificauit altissimus. Psalm. 45. 5. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernacula*

naculum suum Altissimus. Domus est Dei quam decet sanctitudo. Psal. 92. 5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.* Tota pulchra est in qua non est macula. Cant. 4 1. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es? Oculi tui columbarum, absq; eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad,* Vers. 7. *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Quæ omniũ filiarum diuitias supergressa est. Prou. 31. 29. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas.* Cuius detentio in plenitudine sanctorum. Eccl. 24 16. *Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.* Cui non ad mensuram Deus dedit spiritum. Ioan. 3. 34. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Et sicut Rex Assyriorum non potuit expugnare ciuitatẽ Ierosolymi tanã, ita nec peccatũ B. Virginem, Isaiæ. 37 33. 34. 35. *Propterea hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum. Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In via qua venit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus; & protegam ciuitatem istam, vt saluem eam propter me, & propter Dauid seruum meum.* Vnde conteret caput serpentis. Gen. 3. 14. 15. *Et ait Dominus Deus ad serpentem, quia fecisti hoc, maledictus*

es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Lilium est inter spinas. Cant. 2. 12. *Ego flos campi & lilium conuallium: sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quam Dominus.* Prou. 8. 22. *possedit initio viarum suarum antequam quicquam faceret a principio. Ab æterno ordinata est, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Mater est pulchræ dilectionis. Eccl. 24. 24. 25. 26. *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Quam elegit ante mundi constitutionem ut esset sancta & immaculata in conspectu eius. Ephes. 1. 3. 4. *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Deniq; homo natus in ea & ipse fundauit eam Altissimus Psalm. 86. 5.

Nunquid Sion dicet; homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus?

* * *

PROPI

PROPOSITIO II.

B. Virgo debuit nasci tota pura & innocens.

VT Eua, data primo Adamo in sociã, à Deo ipso ex Adami costa, formata fuit. Gen. 2. 21. 22. 23. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.* Et hanc haud dubio Anna mater eius sterilis, suis orationibus impetrauit, vt Anna mater Samuëlis. 1. Reg. 1. 9. 10. 11. Quæ iam progreditur in mundum, pulchra vt luna. Cant. 6. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Vt stella ex Iacob. Numeror. 24. 17. 18. *Et consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio eius: hæreditas Seir cedet inimicis suis, Israël verò fortiter aget.* Vt Virga de radice Iesse. Isai. 11. 1. 2. *Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini. Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eum Spiritus timoris Domini.*

CAPVT III.

Debuit & eadem Patri cæleſti à teneris annis in templo præſentari.

IDq; non minus quam regi Aſſuero Eſther, quæ cæteras pulchritudine præcellebat. Eſther. 2. 16. 17. 18. *Ducta eſt itaque ad cubiculum regis Aſſueri menſe decimo, qui vocatur Tebeth, ſeptimo anno regni eius. Et adamauit eam rex plus quàm omnes mulieres, habuitq; gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius, fecitq; eam regnare in loco Vaſthi. Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus, & ſeruis ſuis pro coniunctione, & nuptijs Eſther. Et dedit requiem vniuerſis prouincijs, ac dona largitus iuxta magnificentiam principalem.* Et vt Samuel filius Annæ, offertur Domino ablactatus à matre. 1. Reg. 1. 23. 24. 25. 26. 27. 28. Ita & hęc præſentata, vt in habitatione ſancta illi miniſtraret. Eccl. 24. 14. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, & vſq; ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.* Pſalm. 44. 9. 10. 11. *Filiæ regum in honore tuo. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: circumdata varietate. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Verſ. 14. 15. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.*

* * *

CAPVT

CAPVT IV.

Multis alijs virtutibus exornata fuit.

QVarum varietate circundata fuit. Psal. 44. 10. præcipuè verò sequentibus.

Primò. Fide. Prou. 31. 18. *Gustauit, & vidit quia bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius*, fidei scilicet. Luc. 1. 38. *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Vers. 45. *Et beata quæ credidisti: quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Ioan. 2. 5. *Dicit mater eius ministris, quodcunq; dixerit vobis, facite.*

II. Spe. Eccl. 24. 24 *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Ioan. 2. 5. vt in præcedenti de fide.

III. Charitate. Eccles. 24. 24. vt in præcedenti membro de spe. Luc. 1. 36. *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua; & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis.* & cæt. vers. 39. 40. 41. *Exurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth*, cum qua & tandem mensibus tribus mansit. vers. 56. Ibid. cap. 2. 7. *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio.* Ioan. 2. 3. *Et deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent.* Ioan. 19. 25. *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris eius, & Maria Cleophæ, & Maria*

Magdalenæ.

IIII. Castitate & perpetua virginitate. Cant. 4. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Ibid. 6. 9. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Hai. 11. 1. *Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Vide etiam cap. 35. 1. 2. Cap. 66. 7. *Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum.* Ezech. 44. 2. *Et dixit Dominus ad me: porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritq; clausa principi.* Matth. 1. 20. *Hæc autem eo cogitante, Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est.* Luc. 1. 34. 35. *Dixit autē Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Eadem colligitur ex Aaronis virga, rubo incombusto, tabernaculo in sole, vellere Gedeonis, lapide abscisso sine manibus, de quibus sequenti capite quinto. Ex eius item pulchritudine de qua infra membro 16.

V. Benignitate, cum salutat Elizabeth. Luc. 1. 40. *Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit*

lutauit Elizabeth, vt supra membro tertio.

VI. Electa. Cant. 6. 8. 9. *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt; reginæ & concubinæ laudauerunt eam. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?*

VII. Fuit fortis. Prou. 31. 10. *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius.* Sic Ioan. 19. 25. vt membro. 3. Stat iuxta crucem CHRISTO patiente, cum doloris gladius animam eius iuxta vaticinium Simeonis. Luc. 2. 35. pertransiuit. Quo etiam spectat. Cant. 4. 3. † 6. 3. 9. † 7. 1. 2. vt infra membro 16.

VIII. Humilis. Luc. 1. 38. *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, & discessit ab illa Angelus.* Vers. 48. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

IX. Misericors. Ioan. 2. 3. *Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.* quæ & Dei misericordiam prædicat. Luc. 1. 50. *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eũ.*

X. Modesta. Vide humilitatem. memb. 8.

XI. Debuit esse tota virtutum fragrantia Odorifera. Cant. 3. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?*

Ibid.

Ibid. cap. 4. 10 11. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa? pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua; & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Vers. 13. 14. *Emissiones tuæ paradysus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrhæ & aloë cum omnibus primis vnguentis.* Capit. 7. 8. *Dixi: ascendam in palmam & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum.* Eccl. 24. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa, dedi suauitatẽ odoris, & quasi storax & galbanus, & vngula & gutta, & quasi Libanus non incisus vapor aui habitationem meam, & quasi balsamum non mistum odor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ ac veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Memoria mea in generationes seculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur,*

detur, & qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

XII. Patiens, Matt. 2. 13. *Qui cùm recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsq; dum dicam tibi: futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Luc. 2. 34. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Vide etiam Ioan. 19. 25. vt membro tertio.

XIII. Pauper spiritu. Matth. 2. 11. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.*

XIV. Pia, id ostendit in cantico. Luc. 1. 46 47. 48. 49. *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius, &c.*

XV. Prudens, conseruando verbum Dei in corde. Luc. 2. 19. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Vers. 51. *Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.*

XVI.

XVI. Pulchra. Cant. 4. 1. 2. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absq; eo, quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Vers. 3. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita gena tua, absq; eo, quod intrinsecus latet. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Vers. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Ibidem capit. 5. 9. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierũ? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?* Vers. 17. *Quo abijt dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?* Capit. 6. 3. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata.* Vers. 9. *Quæ ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Capit. 7. 1. 2. *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis: Iunctura femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus lilijs.* Vnde & est lilium. Cant. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cap. 7. 6. *Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in deliţs!*

XVII.

XVII. Terribilis vt castrorum acies dæmonibus. Cant. 6. 8. 9. vt membro. 6.

XVIII. Mater Domini. Matth. 2. 13. *Qui cùm recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsq; dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Ibid. capit. 12. 47. *Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Marc. 3. 31. 32. *Et veniunt mater eius & fratres, & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum, & sedebat circa eum turba, & dicunt ei; ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te.* Ioan. 19. 25. vt membro. 3.

XIX. Mater cunctorum viuentium. Genes. 3. 20. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Heua, eo quòd mater esset cunctorum viuentium.*

CAPVT V.

Præcipuis quibuscunq; rebus in sacris litteris comparata.

I. Est Arx Siõ in qua habitat Dauid. 2. Reg. 5. 7.

II. Ciuitas Dei de qua glorioſa dicta sunt, in qua habitat Dominus. Psal. 45. 5. 6. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Psalm. 86. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus,*

& populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Nunquid Sion dicet, homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus? Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum: horum qui fuerunt in ea: sicut lætantium omnium habitatio est in te.

3. Domus Salomonis quam ædificauit tredecim annis. 3. Reg. 7. 1. *Domum autem suam ædificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vsq; perduxit.*

4. Gloria Ierusalem. Iudith. 15. 10. 11. *Quæ cùm exisset ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quòd castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris: ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum.* Cuius gloria ab intus Psal. 44. 13. 14. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur: omnes diuites plebis. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Vers. 19. *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in sæculum sæculi.*

5. Habitaculum firmissimum & Dominij solium sempiternum à Salomone vero ædificatum. 3. Reg. 8. 12. 13. *Tunc ait Salomon: Dominus dixit vt habitaret in nebula. Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum.* Quod implet gloria. Ibid. vers. 11. *Et non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam: Impleuerat enim gloria Domi-*

Domini domum Domini. Quod sanctificauit Dominus. Ibidem. cap. 9. 3. *Dixitq; Dominus ad eum: Exaudiui orationem tuam & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: sanctificaui domum hanc, quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.*

6. Honorificentia populi. Iudith. 15. 10. vt memb. 4. Et lilium. Cant. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

7. Lætitia Israël. Iudith. 15. 10. vt membro quarto.

8. Mons de quo abscissus est lapis sine manibus, qui percussit statuam. Dan. 2. 34. *Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Vers. 45. *Secundùm quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus; & comminuit testam & ferrum, & æs, & argentum, & aurum. Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt postea, & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius.*

9. Paradysus voluptatis, in quo positus homo, secundus Adam Christus Dominus. Gen. 2. 8. *Plantauerat autem Dominus Deus paradysum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat.* Vide membro 5.

10. Porta clausa. Ezech. 44. 2. *Et dixit Dominus ad me: porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quia Dominus*

Deus Israël ingressus est per eam. & cætera.

11. Reclinatorium aureum. Cant. 3. 9. 10. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Ierusalem.*

12. Rubus ardens incombustus. Exod. 3. 2. *Apparuit q3 ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & nõ cõbureretur.*

13. Sanctuarium quod curauit Dominus fieri, vt in medio eius habitaret, & arca de ligno Sethim, quæ corrumpi non poterant. Exod. 25. 8. 9. 10. 11. *Facient q3 mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum: iuxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum eius: sicq3 facietis illud. Arcam de ligno Sethim compingite, cuius longitudo habeat duos & semis cubitos, latitudo, cubitum & dimidium, altitudo, cubitum similiter & semissem. Et deaurabis eam auro mundissimo intus & foris, faciesq3 super coronam auream per circuitum.*

14. Tabernaculum in sole positum. Psal. 18. 6. *In sole posuit tabernaculum suum; & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*

15. Trames aquæ immensæ & aquæductus de paradyso. Eccl. 24. 41. 42. *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuius dyorix. & sicut aquæductus exiui de paradyso. Dixi: rigabo hortum meũ plantationũ, & inebriabo prati mei fructum.*

16. Thronus Salomonis ex ebore & auro vestitus

vestitus. 3. Reg. 10. 18. *Fecit etiam rex Salomon Thronũ de ebore grandem, & vestiuit eum auro fulvo nimis.* Psal. 88. 30. *Et ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli.* Vers. 38. *Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.*

17. Vellus Gedeonis. Iudic. 6. 37. 38. 39. 40. *Ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israël, factumq; est ita. Et de nocte consurgens expresso vellere, concham rore implevit; dixitq; rursus ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro ut solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens. Fecitq; Deus nocte illa, ut postulaverat, & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.*

CAPVT VI.

Præfigurata etiam per claras mulieres.

1. Per Euam matrem cunctorum viuentium ex gratia Christi. Gen. 3. 20. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Heua, eo quòd mater esset cunctorum viuentium.*

2. Per Rebeccam. Gen. 24. 51. 52. 53. *En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit vxor filij domini tui sicut locutus est Dominus. Quod cùm audisset puer Abraham, procidens adorauit in terrã Dominum, prolatisq; vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoq; eius, & matri dona obtulit.*

3. Per Rachel. Gen 30. 22. *Recordatus quo*
que Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperui
vuluam eius.

4. Per Mariam sororem Moysis. Exod.
15. 20. 21. *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror*
Aaron, tympanum in manu sua; egressæq; sunt omne
mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibu
præcinnebat, dicens. Cantemus Domino: gloriose
nim magnificatus est, equum & ascensorem eius de
iecit in mare.

5. Per Iahel, quæ confixit caput Sisaræ!
ob hoc benedicta. Iudith. 5, 24. 25. 26. 27. Be
dicta inter mulieres Iahel, vxor Haber Cinæi, &
nedicatur in tabernaculo suo. Aquam petenti
dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. Si
stram manum misit ad clauum, & dexteram ad
brorum malleos, percussitq; Sisaram, quæreninu
pite vulneri locum & tempus validè perfora
ter pedes eius ruit, defecit, & mortuus est: Volu
tur ante pedes eius, & iacebat exanimis & misera
lis. Sic caput serpentis cõtriuit B. Virgo. Gen.
6. Per Abigail. 1. Reg. 25. 23. 24. *Cùm*
tem vidisset Abigail Dauid, festinauit, & desc
dit de asino, & procidit coram Dauid super fac
suam, & adorauit super terram, & cecidit ad pe
eius, & dixit. In me sit, Domine mi, hæc iniquitas
quatur, obsecro ancilla tua in auribus tuis; & au
verba famulæ tuæ. Vers. 32. 33. *Et ait Dauid*
Abigail: Benedictus Dominus Deus Israël,
misit hodie te in occursum meum, & benedictum
qui

quium tuum,& benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea. Vers. 40. 41. *Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes: Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem. Quæ consurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei.*

7. Per Abisag Sunamitidem. 3. Reg. 1. 1. 2. 3. 4. *Et Rex Dauid senuerat, habebatq; ætatis plurimos dies: cumq; operiretur vestibus, non calefiebat. Dixerunt ergò ei serui sui: Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dormiatq; in sinu suo, & calefaciat dominum nostrum regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israël, & inuenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatq; cum rege, & ministrabat ei, rex verò non cognouit eam.*

8. Per Iudith. Iudith. 13. 8. 9. 10. 11. *Et cùm hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius,* scilicet Holofernis, *& pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat, exoluit. Cumq; euaginasset illum, apprehendit comam capitis eius, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora, & percussit bis in ceruicem eius, & abscidit caput eius & abstulit conopæum eius à columnis: & euoluit corpus eius truncum. Et post pusillam exiuit, & tradidit caput Holofernis, ancillæ suæ, & iussit vt mitteret illud*

in peram suam. Vers. 22. 23. 24. 25. 26. *Vniuers*
autem adorantes Dominum dixerunt ad eam: Be
nedixit te Dominus in virtute sua; quia per te ad
nihilum redegit inimicos nostros. Porrò Ozias prin-
ceps populi Israël dixit ad eam: Benedicta es tu filia
à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super
terram. Benedictus Dominus, qui creauit cælum &
terram, qui te direxit in vulnera capitis principis
inimicorum nostrorum: quia hodie nomen tuum ita
magnificauit, vt non recedat laus tua de ore homi-
num, qui memores fuerint virtutis Domini in aeter-
num, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter
angustias & tribulationem generis tui, sed subuenisti
ruinæ ante conspectum Dei nostri. Et dixit omnis
populus; fiat, fiat. Ibid. capit. 15. 10. 11. *Quae cum*
exisset ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce
dicentes. Tu, scilicet Iudith, *gloria Ierusalem, tu le-*
titia Israël, tu honorificentia populi nostri: quia fe-
sti viriliter: & confortatum est cor tuum, eo quod ca-
stitatem amaueris, & post virum tuum alterum non
scieris, ideo & manus Domini confortauit te, & be-
eris benedicta in aternum.

9. Per Esther. Esther. 2. 9. *Quæ placuit*
scilicet Assuero, *& inuenit gratiam in conspectu*
illius. Et præcepit Eunucho vt acceleraret munda
muliebrem, & traderet ei partes suas, & septem
puellas speciosissimas de domo regis, & tam ipsam
quàm pedissequas eius ornaret atq; excoleret. Quae
noluit ei indicare populum & patriam suam: Mar-
dochæus enim præceperat ei, vt de hac re omnino
tacu-

ceret. Vers. 15. 16. 17. *Euoluto autem tempore per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptauerat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæsiuit muliebrem cultum, sed quemcunq; voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur. Ducta est itaque ad cubiculum regis.* &c. vt supra cap. 3. membro 1. Ibid. cap. 7. 3. 4. *Ad quem illa respondit: Si inueni gratiam in oculis tuis ô Rex, & si tibi placet dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur & pereamus. Atq; vtinam in seruos & famulas venderemur, esset tolerabile malum, & gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cuius crudelitas redundat in regem.* Capit. 8. 5. 6. 7. *Et ait: Si placet regi, & si inueni gratiam in oculis eius, & deprecatio mea non ei videtur esse contraria obsecro, vt nouis epistolis, veteres Aman litteræ, insidiatoris & hostis Iudæorum, quibus eos in cunctis regis prouincijs perire præceperat, corrigantur. Quomodo enim potero sustinere necem & interfectionem populi mei? Respondit q; rex Assuerus, Esther reginæ, & Mardochæo Iudæo. Domum Aman concessi Esther reginæ, & ipsum iussi affigi cruci: quia ausus est manum mittere in Iudæos.* Capit. 15. 1. 2. 3. *Et mandauit ei (haud dubium quin Esther, Mardochæo) vt in-*

grederetur ad regem, & rogaret pro populo suo & pro patria sua. Memorare (inquit) *dierum humilitatis tuæ: quomodo nutrita sis in manu mea: quia Aman secundus à rege locutus est contra nos in mortem, & tu inuoca Dominum, & loquere regi pro nobis, & libera nos de morte.*

10. Per mulierem amictam sole. Apocal. 12. 1. 2. *Et signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim: & in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat.*

CAPVT VII.

Eadem multis alijs scripturæ locis prædicitur.

GEnes. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsum teret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Psalm. 18. 6. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cæli egressio eius.* Psalm. 84. 1. *Benedixisti Domine terram tuam; auertisti captiuitatem Iacob.* Psal. 8[illegible] 3. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Psalm. 13[illegible] *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Prou. 31. 10. *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus precium eius.* Vers. 29. 30. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Fallax gra[illegible]*

& vana est pulchritudo : mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. Canticorum integris capitibus. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Eccl. 24. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam : ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram, ego in altissimis habitaui : & thronus meus in columna nubis. Gyrum cæli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui : in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti, & in omni populo, & in omni gente primatum habui ; & omnium excellentium & humilium corda virtute calcaui : & in his omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit & dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo & dixit mihi : In Iacob inhabita & in Israël hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Isai. 19. 1. *Onus Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius & cor Ægypti tabescet in medio eius.* Ibidem capit. 45. 8. *Rorate cæli desuper & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem.*

Ierem. 31. 22. *Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram : femina circumdabit virum.*

*

CAPVT VIII.

Christus Dominus concipitur de B. Virgine ex Spiritu sancto, angelo id illi annunciante.

FIGVRAE. Exod. 3. 2. *Apparuit q; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi; & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* plura capit. 4. memb. 3.

PROPHETIAE. Psal. 18. 6. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Psalm. 70. 6. *In te confirmatus sum ex vtero: de ventre matris meæ tu es protector meus.* Psal. 84. 10. 11. 12. 13. *Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi; iustitia & pax osculatæ sunt. Veritas de terra orta est: & iustitia de cælo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem; & terra nostra dabit fructum suum.* Prou. 30. 18. 19. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam virtutis in adolescentia.* Isai. 7. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Ibid. 8. 3. *Et accessi ad prophetissam, & concepit & peperit filium. Et dixit Dominus ad me, voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: Festina prædari.* Ibidem capit. 11. 1. 2. *Et egredietur virga*

de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Ibidem capit. 45. 8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra & germinet Saluatorem, & iustitia oriatur simul; ego Dominus creaui eum.* Capit. 53. 1. *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?* Vers. 8. *De angustia, & de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium, propter scelus populi mei percussi eum.* Ierem. 31. 22. *Vsquequo delitijs dissoluêris filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram. Femina circumdabit virum.* Ezechiel. 44. 1. 2. 3. *Et conuertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem, & erat clausa. Et dixit Dominus ad me: porta hæc clausa erit, non aperietur & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritq; clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Deo, per viam portæ vestibuli ingredietur, & per viam eius egredietur.*

VERITAS. Ioannis. 1. 14. *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis; & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis.* Matthæi. 1. 20. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini*

appa-

apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Luc. 1. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. *In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel a Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena: Dominus tecũ benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis ista esset salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* & cæt.

* * *

CAPVT

CAPVT IX.

Christus nascitur in Bethlehem Iuda.

FIGVRAE. 1. Non auferetur sceptrum de Iuda ante aduentum Christi. Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium.*

2. Moyses natus in fiscella scirpea ponitur. Exod. 2. 1. 2. 3. *Egressus est post hæc vir de domo Leui, & accepit vxorem stirpis suæ, quæ concepit & peperit filium, & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumq; iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, posuitq; intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis.*

3. Idem vt posset loqui filijs Israël, velata facie descendit ex monte Sinai. Exod. 34. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. *Cumq; descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron & filij Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere. Vocatiq; ab eo, reuersi sunt tam Aaron quàm principes Synagogæ. Et postquam locutus est ad eos, venerunt ad eum etiam omnes filij Israël, quibus præcepit cuncta quæ audierat à Domino in monte Sinai. Impletisq; sermonibus, posuit velamen super faciem suam. Quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat donec exiret, & tunc loquebatur ad filios*

lios Israël omnia quæ fuerant sibi imperata. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam: sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos. 2. Corinth. 3. 13. *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israël in faciem eius quod euacuatur.*

PROPHETIA. Psalm. 17. 10. *Inclinauit cælos, & descendit; & caligo sub pedibus eius.* Psal. 71. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis; donec auferatur luna. Et dominabitur à mari vsq; ad mare; & á flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes: & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: reges Arabum & Saba, dona adducent: & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Sapient. 18. 15. *Omnipotens sermo tuus de cœlis regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram prosiluit,* Isai. 1. 3. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Ibidem 7. 14. 15. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ëius Emmanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Capit. 8. 3. 4. *Et accessit ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me, voca nomen eius accelera spolia detrahe.*

trahere: festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Cap. 9. 6. 7. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis; supra solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsq; in sempiternum. Zelus Domini Exercituum faciet hoc.* Capit. 25. 9. *Et dicet in die illa. Ecce Deus noster iste, exspectauimus eum, & saluabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius.* Capit. 52. 6. *Propter hoc sciet populus meus nomẽ meũ in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Vers. 10. *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Capit. 62. 1. 2. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam; donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Dominꝰ nominabit* Ierem. 14 8. 9. *Exspectatio Israël saluator eius in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir*

vagus,

vagus, & fortis, qui non potest saluare? Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos. Baruch. 3. 34. *Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt.* Vers. 36. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum.* Vers. 38. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Michææ. 1. 3. *Quia ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ.* Ibidem capit. 4. 1. 2. 3. *Et erit, in nouissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob; & docebit nos de vijs suis, & ibimus in semitis eius: quia de Sion egredietur lex & verbum Domini de Ierusalem. Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes vsq; in longinquum, & conflabunt gladios suos in vomeres, & hastas suas in falces: non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent vltrà belligerare.* Cap. 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis* Aggæi. 2. 8. *Et mouebo omnes gentes; & veniet desideratus cunctis gentibus; & implebo domum istam gloria dicit Dominus exercituum.*

VERITAS. Matth. 1. 24. 25. *Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam. Et non cognoscebat*

bat eam donec peperit filium suum primogenitum, & vocauit nomen eius Iesum. Ibidem cap. 2. 1. Cùm ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis: Ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam. Luc. 1. 30. 31. 32. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum; Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius; & regnabit in domo Iacob in æternum. Ibid. capit. 2. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Factum est autem in diebus illis, exijt edictum a Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph a Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eo quòd essent de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio. Vers. 10. 11. Et dixit illis Angelus. Nolite timere: Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Vers. 12. 13. 14. Et hoc vobis signum: inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subitò facta est cum angelo multitu-

do militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium,
Gloria in altissimis Deo ; & in terra pax hominibus
bonæ voluntatis. Ioan. 7. 42. *Nonne scriptura dix-*
cit : Quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castel-
lo, vbi erat Dauid, venit Christus. Galat. 4. 4. 5.
At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Fi-
lium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt
eos, qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem fi-
liorum reciperemus.

CAPVT X.

Christus Dominus nascitur sine peccato.

PROPHETIAE Isai. 53. 4. *Verè langores*
nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit,
& nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum
à Deo, & humiliatum. Vers. 9. *Et dabit impios*
pro sepultura, & diuitem pro morte sua, eo quòd ini-
quitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius.
Vers. 12. *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium*
diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem ani-
mam suam, & cum sceleratis reputatus est ; & ipse
peccata multorũ tulit, & pro trãsgressoribus rogauit.

VERITAS. Ioan. 8. 46. *Quis ex vobis*
arguet me de peccato ? Si veritatem dico vobis, quare
non creditis mihi ? 2. Cor. 5. 20. 21. *Pro Christo*
ergò legatione fungimur, tanquam Deo exhortante
per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini
Deo. Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis
peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in
ipso. Hebræor. 4. 15. 16. *Non enim habemus pon-*
tificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris,
tu-

tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Ibid. capit. 7. 26. 27. 28. Talis enim decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum. 1. Epistol. Petr. 2. 21. 22. 23. 24. 25. In hoc enim vocati estis; quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius qui cùm malediceretur, non maledicebat. Cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis. Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarũ vestrarum. 1. Ioan. 3. 5. Et scitis quia ille apparuit, vt peccata nostra tolleret; & peccatũ in eo non est. Imo ipse est agnus qui tollit peccata mundi. Isai. 16. 1. Emitte agnũ Domine dominatorẽ terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. Ibid. 53. 7. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suũ: sicut ouis ad occisionẽ ducetur, & quasi agnus corã tondente se

obmutescet, & non aperiet os suum. Ierem. 11. 19. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: & non cognoui quia cogouerunt super me consilia, dicentes. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & non memoretur amplius. Ioan. 1. 29. Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Actor. 8. 31. 32. Qui ait; & quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitq; Philippum ut ascenderet, & sederet secum. Locus autem scripturæ, quem legebat, erat hic. Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. 1. Corinth. 5. 7. 8. Expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaq; epulemur, non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis, & veritatis. Apoc. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Et vidi: & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum, agnum stantē tanquam occisum, habentem cornua septē; & oculos septē qui sunt septem spiritus Dei missi in omnē terram. Et venit: & accepit de dextera sedentis in throno librum. Et cùm aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, & cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signa

signacula eius; quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione; & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes; & regnabimus super terram. Et vidi, & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum; & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes sedenti in throno, & agno: benedictio, & honor, & gloria, & potestas, in sæcula sæculorum, & quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum. Plura ibidem capit. 7. vers. 9. 10. † 13. vers. 14. 15. 16. 17.

CAPVT XI.

Christus circumciditur & imponitur illi nomen Iesus.

FIGVRAE. Prima in Isaac qui octauo die circumciditur. Genes. 21. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Concepitq; & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. Vocauitq; Abraham nomen filij sui quem genuit ei Sara, Isaac, & circumcidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus, cum centum esset annorum, hac quippe ætate patris natus est Isaac. Dixitq; Sara. Risum fecit mihi Deus: quicunq; audierit, corridebit mihi.*

Secunda Ioseph patriarchæ imponitur nomen à Rege, & vocatur Saluator mundi. Gen. 41. 44. 45. *Dixit quoq; Rex ad Ioseph: Ego sum Pharao: absq; tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti, vertitq; nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi. Deditq; illi vxorem Aseneth filiam Puthipharis sacerdotis Heliopoleos.*

PROPHETIAE. Isai. 7. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Ibid. cap. 8. 3. 4. *Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium, & dixit Dominus ad me. Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere, festina prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum.* Capit. 9. 6. 7. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius; & vocabitur nomen eius. Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Ezech. 39. 7. *Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israël, & non polluam nomen sanctum meum amplius, & scient gentes quia ego Dominus sanctus Israël.* Habac. 3. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.*

VERITAS. Luc. 1. 31. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, Et vocabis nomen eius Iesum.* Ibid. cap. 2. 21. *Et postquam consummati sunt dies*

octo vt circumcideretur puer, vocatũ est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in vtero conciperetur. Rom. 15. 8. *Dico enim Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.* Sic datur illi nomen super omne nomen. Phil. 2. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestiũ terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Virtutes verò quinquaginta nouem nominis huius, vide in Thesauro nostro biblico, tit. Nomen Dei, puncto 6. & fructum id laudantium, puncto 7. & quale sit, puncto 8.

CAPVT XII.

Christi natiuitas manifestatur pastoribus vigilantibus

PROPHETIAE Psalm. 111. 4. *Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, & miserator, & iustus.* Psal 137. 6. *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Isai. 9. 2. 3. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnã: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentẽ, & nõ magnificasti lætitiã.*

Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores, capta præda, quando diuidunt spolia. Ibidem cap. 29. 19. 20. 21. *Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes hominum in sancto Israël exultabunt: quoniam defecit qui prævalebat, consummatus est illusor, & succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo, & arguenti in porta supplantabant, & declinauerunt frustra à iusto.* Capit. 60. 1. 2. *Surge illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* Prouerb. 3. 32. *Quia abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.* Ibidem capit. 8. 17. *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, inuenient me.*

VERITAS. Luc. 2. 8. 9. 10. 11. *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere. Ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Vers. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Et factum est vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum: pastores loquebantur ad inuicem. Transeamus vsq; Bethlehem, & videamus hoc verbum quod*

quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierant mirati sunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos.

CAPVT XIII.

Eadem natiuitas tribus Magis manifestatur per stellam.

FIGVRA. Numeror. 24. 17. *Videbo eum, sed non modò: intuebor illum, sed non propè. Orietur stella ex Iacob, & consurget virgo de Israël, & percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth.*

PROPHETIAE. Psalm. 71. 10. 11. *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Psalm. 85. 9. 10. *Omnes gentes quascunq; fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine; & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.* Isai. 49. 7. *Hæc dicit Dominus redemptor Israël, sanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum Dominorum. Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum; quia*

fidelis est, & sanctum Israël, qui elegit te. Vers. 23. *Et erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Ibid. cap. 60. 1. 2. 3. *Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos; super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Vers. 6. *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Vers. 8. 9. *Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Me enim insulæ exspectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longè, argentum eorum, & aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui, & sancto Israël: quia glorificauit te.* Vers. 16. *Et sugges lac gentium, & mamilla regum lactaberis; & scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.*

VERITAS. Matth. 2. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Cùm ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum eo. Et congregans omnes principes sacerdotũ, & scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur.*

tur: At illi dixerunt ei: in Bethlehem Iuda: sic enim scriptum est per prophetã. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: Ex te enim exiet dux, qui regat populum meũ Israël. Tunc Herodes clam vocatis magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. Qui cùm audissent regẽ, abierunt; & ecce stella quam viderant in oriente antecedebat eos, vsq; dũ veniens staret supra vbi erat puer. Videntes autẽ stellam gauisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, inuenerunt puerũ cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eũ & apertis thesauris suis obtulerũt ei munera, aurũ, thus, & myrrhã. Et responso accepto in somnis ne rediret ad Herodẽ, per aliã viam reuersi sunt in regionẽ suam.

CAPVT XIV.

Christus præsentatur & manifestatur in templo.

FIGVRA. Vera victima mãdato Domini mane & vesperi offertur. Exod. 29. 38. 39. *Hoc est quod facies in altari, agnos agniculos duos per singulos dies iugiter, vnum agnũ manè, & alterũ vespere.* Hîc nota, facere poni, pro sacrificare & offerre vt sæpius in sacris literis. Leu. 15. 15. 30. Num. 6. 11. 16. † 8. 12. † 9. 2. 4. 10. 14. Iudic. 13. 1. 3 Reg. 18. 23. Ezech. 46. 14. 15. Ose. 2. 8. 9. Luc. 22. 19. Leu. 23. 19.

Secunda. Anna filiũ suum Samuelẽ multis precibus impetratũ offert in templo. 1 Reg. 1. 24. 25. 26. 27. *Et adduxit eũ secũ postquã ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad domũ Domini in Silo. Puer autẽ adhuc erat infantulus; & immolauerũt vitulũ.*

& obtu-

& obtulerunt puerum, Heli. Et ait Anna: Obsecro mi domine; viuit anima tua domine ego sum illa mulier quæ steti coram te hic orans Dominum. Pro puero isto orauí, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui eum.

PROPHETIAE. Psalm. 47. 9. 10. 11. 12. *Sicut audiuimus sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum. Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui. Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua. Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine.* Psalm. 97. 2. 3. 4. *Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israël. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. Iubilate Deo omnis terra; cantate, & exultate, & psallite.* Dan. 7. 13. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum.* Aggæi 2. 7. 8. *Adhuc vnum modicum est & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes.* ET VENIET DESIDERATVS *cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria dicit Dominus exercituum.* Zachar. 6. 11. 12. 13. *Sumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filii Iosedec sacerdotis magni, & loqueris ad eum, dicens: Hæc ait Dominus exer-*

tuu

tuum, dicens: *Ecce vir oriens nomen eius; & super eum orietur; & ædificabit templum Domino: & ipse extruet templum Domino: & ipse portabit gloriam & sedebit, & dominabitur super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos.* Malach. 3. 1. 2. *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum.*

VERITAS. Luc. 2. 22. 23. 24. 25. *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem: vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Et vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, exspectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.* Vers. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. *Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum & dixit. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum*

verbū tuū in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël: Et ibid. vers. 33.34.35.36.37.38.39.40. 41. Et erat pater eius & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionē multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animā pertransibit gladius, vt revelētur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septē à virginitate sua. Et hæc vidua vsq; ad annos octoginta quatuor, quæ nō discedebat de templo: ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superueniens, cōfitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionē Israël. Et vt perfecerunt omnia secundū legē Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatē suam Nazareth. Puer autē crescebat & cōfortabatur plenus sapientia; & gratia Dei erat in illo, & ibant parētes eius per omnes annos in Ierusalem die solemni Paschæ.

CAPVT XV.

Christus fugit in Aegyptum, & occiduntur innocentes.

FIGVRA prima. Iacob ob persecutionē fratris sui Esau abijt in Mesopotamiā. Gen. 27. 43.44.45. Nūc ergò fili mi, audi vocē meā, & consurgens fuge ad Laban fratrē meū in Haran, habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cessa

& cesset indignatio eius, obliuiscaturq; eorum quæ fecisti in eum: postea mittam, & adducam te inde huc, cur vtroq; orbabor filio in vno die?

Secunda. Moyses à Pharaone ad cædē quæsitus fugit in terram Madian. Exod. 2. 15. *Audiuitq; Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen: qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum.*

Tertia. Pharao timens Hebrēos, mādat omnes infantes masculos Iudæorum occidi. Exod. 1. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Dixit autem Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quarū vna vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum. si femina reseruate. Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis Ægypti, sed conseruabāt mares. Quibus ad se accersitis, Rex ait. Quidnam est hoc quod facere voluistis, vt pueros seruaretis? Quæ respondērunt. Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas pariunt.* &c.

Quarta. Athalia cupiditate regnandi curauit occidi omnes filios stirpis regiæ, vnde solus Ioas euasit. 4. Reg. 11. 1. 2. *Athalia verò mater Ochoziæ, videns mortuum filiū suum, surrexit & interfecit omne semen regium. Tollens autem Iosaba filia regis Ioram, soror Ochoziæ, Ioas filiū Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, & nutricē eius de triclinio, & absondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur.*

PRO-

PROPHETIAE. Psalm. 8.3 *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem.* Iſai. 19.1.2.3.4.5 *Onus Ægypti. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem & ingredietur Ægyptum, & cõmouebuntur ſimulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabeſcet in medio eius, & cõcurrere faciã Ægyptios aduerſus Ægyptios, & pugnabit vir cõtra fratre ſuum, ciuitas aduerſus ciuitatem, regnũ aduerſus regnũ. Et dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus eius, & conſilium eius præcipitabo, & interrogabunt ſimulachra ſua, & diuinos ſuos & pythones & ariolos. Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. Et areſcet aqua de mari, & fluuius deſolabitur, atq; ſiccabitur.* Verſ. 21. *Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hoſtijs, & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & ſoluent.* Ierem. 31.15.16. *Hæc dicit Dominus. Vox in excelſo audita eſt lamentationis luctus & fletus, Rachel plorantis filios ſuos, & noluit conſolari ſuper eis: quia non ſunt. Hæc dicit Dominus: Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis: quia eſt merces operi tuo, ait Dominus, & reuertentur de terra inimici.*

VERITAS. Matth. 2.13.14.15.16.18. *Qui cùm receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens. Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, &*

ibi vsq; dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum: & erat ibi vsq; ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem. Ex Ægypto vocaui filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdé, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà, secundum tempus quod exquisierat à Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

CAPVT XVI.

Christus mortuo Herode reuocatur ex Aegypto.

FIGVRA. Moyses ex terra Madian reuocatur in Aegyptum, idq; vt indè filios Israël educat. Exod. 3. 7. 8. 9. 10. Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorẽ eius audiui, propter duritiam eorum qui præsunt operibus. Et sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherizæi, & Heuæi, & Iebusæi. Clamor ergò filiorum Israël venit ad me, vidiq; afflictionem eorum, qua ab Ægyptijs opprimuntur.

muntur. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israël de Ægypto.

PROPHETIA. Osee. 11.1. *Sicut mane transiit, pertransiit rex Israël: quia puer Israel & dilexi eum, & ex Ægypto vocaui filium meum.*

VERITAS. Matth. 2. 15. *Et erat ibi vsq; ad obitum Herodis; vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.* Vers. 19 20. 21. 22. 23. *Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens. Surge & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terrā Israël: Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Israël. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illo ire; & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth; vt adimpleretur quod dictum est per prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur.*

CAPVT XVII.

Puer Iesus amissus à parentibus inuenitur in templo.

FIGVRA prima. Ruben contristatus quòd non iuuenit Ioseph fratrem suum. Gen. 37. 29. 30. *Reuersus Ruben ad cisternam, non inuenit puerum; & scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait: puer non comparet & ego quo ibo?*

Secunda. Pater & mater Tobiæ eius absentia multum solliciti, & maximè mater lachrymis abun-

abundè conquesta est. Tob. 10.1. 2. 3. 4. 5. *Cùm verò moras faceret Tobias, causa nuptiarum, solicitus erat pater eius Tobias dicens: putas quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi? Putas ne Gabelus mortuus est, & nemo reddet illi pecuniã? cœpit autem cõtristari nimis ipse & Anna vxor eius cum eo, & cœperunt ambo simul flere eo quòd die statuto minimè reuerteretur filius eorum ad eos. Flebat igitur mater eius irremediabilibus lachrymis, atq; dicebat. Heu heu me fili mi, vt quid misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Cant. cap. 3. 1. 2. 3. 4. *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatẽ; per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cùm pertransissem eos inueni quem diligit anima mea,* &c. Thren. 1. 3. *Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis: habitauit inter gentes, nec inuenit requiem: omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.* Ezechiel. 10. 18. 19. *Et egressa est gloria Domini à limine templi; & stetit supra Cherubin. Et eleuantia Cherubin alas suas, exaltata sunt à terra coram me; & illis egrediẽtibus, rotæ quoq; subsecutæ sunt, & stetit in introitu portæ domus Domini orientalis, & gloria Dei Israël erat super eas.*

Aggæi. 2. 8. 9. 10. *Et mouebo omnes gentes, & ve-*
niet desideratus cunctis gentibus, & implebo do-
mum istam gloria, dicit Dominus Exercituum.
Meum est argentum, & meum est aurum, dicit
Dominus Exercituum. Magna erit gloria domus
istius nouissimæ, plus quàm primæ, dicit Dominus
Exercituum; & in loco isto dabo pacem, dicit Do-
minus Exercituum.

VERITAS. Luc. 2. 42. 43. 44. 45. 46.
47. 48. 49. *Et cùm factus esset annorum duode-*
cim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum con-
suetudinem diei festi: consummatisq; diebus, cùm
redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non
cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum. Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te? Et ait ad illos. Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt oportet me esse?

CAPV

CAPVT XVIII.

De tempore Christi à manifestatione in templo anno duodecimo ætatis, ad tempus prædicationis eius.

FIGVRA prima. Fuit hoc tempore quasi Ioseph absconditus, sic Ioseph mansit quasi occultus in Aegypto vsq; ad annum trigesimũ, quo incepit esse notus Pharaoni, & saluare Aegyptum. Gen. 41. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *Iratus Rex seruis suis, me & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum. Vbi vna nocte vterq; vidimus somnium præsagium futurorum. Erat ibi puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus, cui narrantes somnia, audiuimus quicquid postea rei probauit euentus: Ego enim redditus sum officio meo, & ille suspensus est in cruce. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioseph, totonderunt, ac veste mutata, obtulerunt ei. Cui ille ait. Vidi somnia, nec est qui ediſſerat; quæ audiui te sapientissimè conijcere.* Vers. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. *Locutusq; est ad eos; num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergò ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nunquid sapientiorem & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: Vno tantum regni solio te præcedam. Dixitq; rursus Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti; tulitq; annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitq; eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitq;*

eum ascendere super currum suum secundum, cla-
mante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, &
præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti. Di-
xit quoq; rex ad Ioseph: Ego sum Pharao, absq; tuo
imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem
in omni terra Ægypti. Vertitq; nomen eius, & vo-
cauit eum lingua Ægyptiaca, saluatorem mundi.
dedit q; illi vxorem Aseneth filiam Putipharis sa-
cerdotis Heliopoleos, egressus est itaq; Ioseph adter-
ram Ægypti.

Secunda. Moyses antequam mandato ac-
cepto liberasset Israël à seruitute, prius multis
annis post fugam suam occultus fuit. Exod. 3. 7.
8. 9. 10. *Cui ait Dominus: vidi afflictionem populi*
mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter
duritiam eorum qui præsunt operibus, & sciens dolo-
rem eius, descendi vt liberem eum de manibus Æ-
gyptiorum. & educam de terra illa in terram bonam,
& spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad lo-
ca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi,
& Heuæi & Iebusæi. Clamor ergò filiorum Israël ve-
nit ad me, vidiq; afflictionem eorum, qua ab Ægy-
ptijs opprimuntur: sed veni, & mittam te ad Pharao-
nem, & educas populum meum, filios Israël de Æ-
gypto.

Tertia. Leuitæ ante trigesimum annum
non debuerunt ministrare Domino in isto of-
ficio. Numeror. 4. 22. 23. *Tolle summam etiam*
filiorum Gerson per domos & familias, & cognatio-
nes suas, à triginta annis & supra vsq; ad quinqua-
gesimum

gesimum annum, omnium qui ingrediuntur vt stent & ministrent in tabernaculo fœderis.

Quarta. Dauid licet 1. Reg. 16. 13. in regē Iudæorum vnctus esset adhuc puer, triginta tamen annis partim occultus, partim profugus fuit, quoad potiretur regno. 2. Reg. 5. 1. 2. 3. 4. *Et venerunt vniuersa tribus Israël ad Dauid in Hebron dicentes. Ecce nos os tuum & caro tua sumus. Sed & heri & nudius tertius cùm esset Saul super nos, tu eras educens & reducens Israël, dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israël, & tu eris dux super Israël. Venerunt quoq; & seniores Israël ad regem in Hebron, & percussit cum eis Rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino: vnxerunt q; Dauid cùm regnare cœpisset, & quadraginta annis regnauit.*

Quinta. Samuel electus à Domino in Silo seruiebat Deo in templo crescens, & Dominus erat cum eo. 1. Reg 3. 1. 2. 3. 4. *Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta; factum ergò in die quadam Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauer ant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur. Samuel autem dormiebat in templo Domini vbi erat arca Dei. Et vocauit Dominus Samuel. Qui respondens ait: Ecce ego. Et cucurrit ad Heli, & dixit. Ecce ego, vocasti enim me. Qui dixit. Non vocaui: reuertere, & dormi. Et abyt, & dormiuit.* Vers. 19. 20. *Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo,*

& non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Et cognouit vniuersus Israël à Dan vsq; Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.

PROPHETIAE. Isai. 45. 15. *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator.* Ibidem capit. 52. 14. *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum.*

VERITAS. Luc. 2. 15. *Et descendit cum eis & venit Nazareth. Et erat subditus illis.*



LIBER

LIBER TERTIVS.

DE VARIIS QVALITATIBVS CHRISTI DOMINI ORDINE ALPHABETICO.

PRAECIPVAS TANTVM ATTINGAM, NAM INFINITAS ALIAS GOLLIgere poteris ex decursu totius Thesauri nostri Biblici, ordine Alphabetico: aliquas etiam ex libro 1. cap. 4.

CAPVT PRIMVM.

Christus est aduocatus noster.

1. Ioan. 2. 1. 2. *Filioli mei, haec scribo vobis vt non peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem peccatis tantum, sed etiam pro totius mundi.* Plura infra cap. 2. 8. 13. 18. 19.

CAPVT II.

Christus est agnus Dei.

Ioan. 1. 29. *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Plura superius de hac re, libro 2. cap. 10. diximus, quo etiam spectant quæ infra dicentur cap. 5. 18. & 19.

CAPVT III.

Christus est caput Ecclesiæ

Ephes. 1. 5. 6. 7. *Qui prædestinauit nos in adoptionē filiorum per Iesum Christum in ipsum: Secūdum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius.* vers. 22. *Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput super omnē Ecclesiam.* Ibidem cap. 2. 20. 21. 22. *Superædificati super fundamentum apostolorū & prophetarū, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templū sanctū in Domino. in quo & vos coædificamini in habitaculū Dei, in Spiritu sancto.* Cap. 4. 15. 16. *Veritatē autē facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iunctūram subministrationis, secundum operationē in mensuram vnius cuiusq; membri augmentū corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Cap. 5. 23. 22. 24.

22. 23. 24. 25. 26. *Subiecti inuicem in timore Christi. Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ. Ipse Saluator corporis eius. Sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsam tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ.* vers. 29. 30. 31. 32. *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed fouet & nutrit eam, sicut & Christus ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia.* Colloss. 1. 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Et ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Et vos cùm essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso; Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura quæ sub cælo est, cuius factus sum ego Paulus minister.*

CAPVT

CAPVT IIII.

Christus est causa omnis iustificationis.

PROPHETIAE. Psalm. 117. 22. 23. *Lapidem quē reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Isaiæ 4. 2. 3. *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui saluati fuerint de Israël. Et erit: omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem.* Ibidem cap. 22. 22. 23. 24. *Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domui patris sui. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius vasorum diuersa genera, omne vas paruulum à vasis craterarum vsq; ad omne vas musicorum.* Capit. 28. 16. *Idcirco hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, qui crediderit, non festinet.* Capit. 61. 10. 11. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimento salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: Sic Dominus Deus germinabit iu-*

stitiam,

stitiam, & laudem, coram vniuersis gentibus. Ierem. 23. 5. 6. *Ecce dies venient dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Ibid. capit. 33. 14. 15. *Ecce dies venient dicit Dominus, & suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israël & ad domum Iuda. In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Ezech. 17. 23. 24. *In monte sublimi Israël plantabo illud & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in Cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile sub vmbra frondium eius nidificabit. Et scient omnia ligna regionis quia ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile: & siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum: Ego Dominus locutus sum, & feci.* Osee. 14. 5. 6. 7. 8. *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè; quia auersus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, Israël germinabit sicut lilium, & erumpet radix illius vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Conuertentur sedentes in vmbra eius: viuent tritico, & germinabunt quasi vinea, memoriale eius quasi vinum Libani.* Zachar. 6. 12. 13. *Et loqueris ad eum, dicens: hæc ait Dominus exercituum, dicens, Ecce vir oriens nomen eius, & subter*

eum

eum orietur, & ædificabit templum Domino, & ipse extruet templum Domino: & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo: & erit sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos. Malach. 3. 2. 3. *Et quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.*

VERITAS. Ioan. 1. 16. 17. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia; quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Ibid. cap. 10. 14. *Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ.* Cap. 15. 4. 5. *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite: Sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Actor. 4. 12. *Et non est in alio aliquo saluus. Nec enim aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Rom. 5. 18. *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* 1. Cor. 1. 3. *Gratia vobis & pax, à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.* Vers. 30. 31. *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia in Deo, & iustitia & sanc-*

& sanctificatio, & redemptio: vt quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur Colossens. 1. 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Et vos cùm essetis aliquando alienati & inimici sensu, in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso. Si tamen permanetis in fide fundati & stabiles, & immobiles à spe Euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura quæ sub cælo est; cuius factus sum ego Paulus minister.*

CAPVT V.

Patrum etiam veteris testamenti eadem causa fuit.

IOAN. 1. 29. *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Vers. 36. *Et respiciens Iesum ambulantem, dicit: ecce agnus Dei.* Rom. 3. 24. 25. 26. *Iustificati gratis per gratiã ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu; quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionẽ iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum. In sustentationem Dei ad ostensionem*

iustitiæ

iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide Christi Iesu. 1. Corinth. 10. 1. 2. 3. 4. 5. *Nolo enim vos ignorare fratres quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequente eos, petra, petra autem erat Christus) sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto.* Ibidem capit. 15. 20. 21. 22. 23. *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisq; autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt.* 1. Tim. 2. 5. 6. 7. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, cuius testimonium temporibus suis confirmatum est. In quo positus sum ego prædicator & apostolus (veritatem dico non mentior) doctor gentium in fide & veritate.* Apoc. 13. 8. *Et adorauerunt eam (bestiam scilicet) omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.* 1. Ioan. 2. 1. 2. *Filioli mei hæc scribo vobis vt non peccetis, sed & si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse*

ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum , sed etiam pro totius mundi.

CAPVT VI.

Christus est doctor, magister, propheta, prædicator.

PROPHETIA. Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Vers. 18. 19. *Prophetam suscitabo de eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loquetur q3 ad eos omnia quæ præcepero illi : qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Isai. 2. 3. *Et ibunt populi multi, & dicent : venite & ascendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Ibid. cap. 30. 20. 21. *Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem; & non faciet auolare à te vltrà doctorem tuum : & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum , et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : hæc est via , ambulate in ea, & non declinetis neq3 ad dexteram, neq3 ad sinistram.* Capit. 55. 3. 4. *Inclinate aurem vestram & venite ad me: audite, & viuet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Osee. 10. 12. *Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ, innouate vobis nouã-*

bis nouale: tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit vos iustitiam. Ioël. 2. 23. Et filiæ Sion exultate & lætamini in Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum sicut in principio. Mich. 4. 1. 2. Et erit in nouissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ & dicent: venite ascendamus ad montem Domini & domum Dei Iacob; & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis eius; quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem.

VERITAS. Matth. 3. 17. Et ecce vox de cælis dicens: hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui. Ibidem cap. 4. 17. Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Capit. 17. 5. Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens: hic est filius meus dilectus in quo mihi benè cõplacui, ipsum audite. Matth. 22. 16. Magister scimus quia verax es & viam Dei in veritate doces & non est tibi cura de aliquo. Similiter Marc. 12. 13. 14. Luc. 20. 20. 21. Cap. 23. 10. Nolite vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Marc. 1. 14. Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam, prædicans euangelium regni Dei. Luc. 4. 15. Et ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. Ibi cap. 6. 20. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat

dicebat. *Beati pauperes : quia vestrum est regnum Dei.* Ioan. 1. 18. *Deum nemo vidit vnquam : vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.* Ibid. 13. 13. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Vide plura in Thesauro nostro Biblico, titulis. Doceo, Doctor, Magister, Propheta.

CAPVT VII.

Christus est Dominus, & Dominus dominantium, Rex, & Rex regum.

PROPHETIAE. 2. Reg. 7. 12. 13. *Cumq; completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsq; in sempiternum.* 3. Reg. 10. 23. 24. *Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ, diuitijs, & sapientia; & vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius, quam dederat Dominus in corde eius.* Psal. 2. 6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Psal. 71. 2. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.* Vers. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Et permanebit cum sole & ante lunam; in generatione & generationem. Descendet sicut pluuia in vellus: & sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pa-*

tia pacis: donec auferatur luna, & dominabitur
mari vsq; ad mare: & a flumine vsq; ad terminos or-
bis terrarum. Coram illo procident Æthiopes; &
inimici eius terram lingent. Reges Tharsis & insu-
læ munera offerent: Reges Arabum & Saba don
adducent. Et adorabunt eum omnes reges: omn
gentes seruient ei. Psalm 88. 25. 26. 27. 28. 29. 30.
Et veritas mea & misericordia mea cum ipso: & in
nomine meo exaltabitur cornu eius. Et ponam in
mari manum eius: & in fluminibus dexteram eius.
Ipse inuocauit me, pater meus es tu: Deus meus &
susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam
illum: excelsum præ regibus terræ. In æternum ser
uabo illi misericordiam meam, & testamentum meū
fidele ipsi. Et ponam in seculum seculi semen eius, &
thronum eius sicut dies cæli. Vers. 36. 37. 38. Semel
iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar: semen eius in
æternum manebit. Et thronus eius sicut sol in con-
spectu meo, & sicut luna perfecta in æternum: & te
stis in cælo fidelis. Ierem. 23. 6. 7. Ecce dies veniunt
dicit Dominus: &c. vt pagina 76. Ezech. 37. 24.
Et seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vn
erit omnium eorum: in iudicijs meis ambulabunt, &
mandata mea custodient, & facient ea. Dan. 2. 44.
45. In diebus autem regnorum illorum, suscitab
Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur
& regnum eius alteri populo non tradetur: comm
nuet autem & consumet vniuersa regna hæc, & ipsu
stabit in æternum. Secundum quod vidisti, quod
monte abscissus est lapis sine manibus & comminu
testam

testam, & ferrum, & æs, & argentum & aurum, Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt postea. Et verum est somnium, & fidelis interpretatio eius. Ibid. cap. 7. 13. 14. Aspiciebant ergò in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit eis potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, & tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna quæ non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur. Vers. 27. Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi: cuius regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges seruient ei, & obedient. Osee 3. 3. 4. 5. Et dixi ad eam: dies multos exspectabis me, non fornicaberis, & non eris viro: sed & ego exspectabo te, quia dies multos sedebunt filij Israël sine rege & sine principe, & sine sacrificio & & sine altari, & sine ephod & sine theraphim. Et post hæc reuertentur filij Israël & quærent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum; & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum. Mich. 4. 7. 8. Et ponam claudicantem in reliquias, & eam quæ laborauerat in gentem robustam: & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsq; in æternum. Et tu turris gregis, nebulosa filiæ Sion vsq; ad te veniet; & veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem. Zachar. 9. 9. Exulta satis filia Sion: iubila filia Ierusalem: ecce rex tuus veniet tibi iustus & Saluator, ipse pauper,

& ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.

VERITAS. Matth. 21. 5. *Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Luc. 1. 30. 31. 32. 33. *Et ait angelus ei. Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce cõcipies in vtero, & paries filiũ, & vocabis nomẽ eius Iesum; hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ, & regni eius nõ erit finis.* Ioan. 1. 49. *Respõdit ei Nathanaël, & ait: rabbi tu es filius Dei, & tu es rex Israël.* Ibid. 12. 14. 15. *Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum sicut scriptum est: noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ.* Cap. 18. 36. 37. *Respondit Iesus regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiq; decertarent vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaq; ei Pilatus. Ergo rex es tu? Respondit Iesus. Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & adhoc veni in mundũ, vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Plura titul. Dominus, & titul. Rex in thesauro nostro Biblico.

CAPVT VIII.

Christus est iustificator noster.

ROman. 3. 22. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum.*

in eum: non enim est distinctio. Vers. 24. 25. 26. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.* Ibidem cap. 5. 1. *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.* Heb. 1. 9. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus præ participibus tuis.* Ex psal. 44. 8. *Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Plura titul. Iustifico & Iustificatio in thesauro nostro Biblico.

CAPVT IX.

Christus est legifer noster.

PROPHETIAE. Psalm. 83. 8. *Etenim Dominus benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Isa. 2. 3. *Et ibunt populi multi & dicent: venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem.* Ibidem cap. 8. 16. *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.* Capit. 30. 20. *Et dabit vobis Dominus panem arctum & aquam breuem, & non faciet auolare à te vltrà doctorem*

tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, Capit. 33. 21. *Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse saluabit nos.* Capit. 42. 24. *Quis dedit in direptionem Iacob, & Israël vastantibus? nonne Dominus ipse cui peccauimus? & noluerunt in vijs eius ambulare, & non audierunt legem eius.* Cap. 55. 3. 4. *Inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite, & viuet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum misericordias Dauid fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Ierem. 31. 33. 34. 35. 36. *Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens, cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsq; ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Hæc dicit Dominus qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ & stellarum in lumine noctis, qui turbat mare & sonant fluctus eius; Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint leges istæ coram me dicit Dominus, tunc & semen Israël deficiet vt non sit gens coram me cunctis diebus.* Ezech. 20. 19. *Ego Dominus Deus vester: in præceptis meis ambulate, iudicia mea custodite, & facite ea.*

VERITAS. Matth. 5. 22. *Audistis quia dictum est antiquis: non occides, qui autem occiderit*

reus

reus erit iudicio. Vers. 29. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.* Vers. 32. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Vers. 34. *Ego autem dico vobis non iurare omnino, neq; per cælum: quia thronus Dei est.* Vers. 38. *Audistis quia dictum est: oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo.* quæ omnia sunt legislatoris præcipientis. Ibid capit. 7. 2. *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Cap. 11. 20. *Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam.* vers 30. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Capit. 28. 20. *Docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis; & ecce vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi.* Ioan. 3. 3. *Respondit Iesus, & dixit ei;* (Nicodemo scilicet) *amen, amen dico tibi nisi quis renatus fuerit denuo non potest videre regnum Dei.* Vers. 5. *Respondit Iesus: amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Ibid. cap. 13. 34. *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.* Cap. 15. 12. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Vers. 17. *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* Heb. 10. 16. *Hoc autem testamentum*

mentum quod testabor ad illos post dies illos dicit Dominus: dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas. Ibidem. cap 7. 12. Translato enim sacerdotio necesse est vt & legis translatio fiat. Roman. 3. 31. Legem ergo destruimus per fidem? absit: Sed legem statuimus.

CAPVT X.

Christus est lux gentium & totius mundi.

FIGVRAE. Genes. 13. 14. Dixitq; Dominus ad Abraham postquam diuisus est ab eo Loth: leua oculos tuos & vide a loco in quo nunc es, ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem &c. Ibidem cap. 18. 17. 18. Num celare potero Abraham quae gesturus sum: cùm futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, & benedicendae sint in illo omnes nationes terrae? Scio enim quod praecepturus sit filijs suis & domui suae post se vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam, vt addu cat Dominus propter Abraham omnia quae locutus est ad eum. Capit. 22. 16. 17. Per memetipsum iura ui dicit Dominus: quia fecisti hanc rem & non pe percisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam ti bi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, velut arenam quae est in littore maris: possidebit men tuum portas inimicorum suorum, & benedicen tur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedi voci meae. Cap. 26. 4. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, daboq; posteris tuis vniuersas regiones has: & benedicentur in semine tuo omnes gen terr

terræ, eo quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legesq; seruauerit. Capit. 28. 13. 14. Vidit Iacob Dominum scalæ innixum dicentem sibi. *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Terram in qua dormis tibi dabo & semini tuo, eritq; semen tuum quasi puluis terræ; dilataberis ad occidentem, & orientem, & septentrionem, & meridiem, & benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ.*

PROPHETIAE. Isai. 2. 1. 2. 3. 4. 5. *Verbū quod vidit Isaias filius Amos super Iudam & Ierusalem. Et erit in diebus nouissimis præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi & dicent. Venite & ascendamus ad montem Domini & ad domum Iacob; & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos; & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini.* Ibidem cap. 9. 1. 2. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon & terra Nephthali, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucē magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentem, nō magnificasti lætitiam:*

Cap.

Cap. 11. 10. *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Capit. 12. 6. *Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israël.* Cap. 42. 6. 7. *Ego Dominus vocaui te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruaui te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium: vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.* Cap. 49. 6. 7. 8. *Et dixi: parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus redemptor Israël, sanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum: reges videbunt & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israël, qui elegit te. Hæc dicit Dominus: in tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui; & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas.* Cap. 52. 15. *Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt, & qui non audierunt contemplati sunt.* Cap. 55. 4. 5. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current propter Dominum Deum tuum & sanctum Israël quia glorificauit te.* Capit. 60. 1. 2. 3. 4. *Surge illuminare Ierusalem: quia venit lu-*

nit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Vers. 19. 20. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.

VERITAS. Matth. 4. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Cùm autem audisset Iesus quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam: & relicta ciuitate Nazareth venit & habitauit in Capharnaum maritima in finibus Zabulon & Nephthali, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam. Terra Zabulon & terra Nephthali, via maris trans Iordanem Galilææ gentium: populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam; & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere, pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Ibid. capit. 28. 19. Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Marc. 16. 15. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Luc. 1. 7. 8. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriēs ex alto. Vers. 79. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Ibid. cap. 2. 30.

2. 30. 31. 32. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Capit. 24. 46. 47. *Et dixit eis quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma.* Ioan. 1. 4. 5. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt* vers. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ibid. capit. 3. 19. 20. 21. *Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum opera mala. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem vt manifestentur opera eius.* Capit. 8. 12. *Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens. Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Capit. 9. 4. 5. *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari; quam diu sum in mundo, lux sum mundi.* Cap. 10. 16. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili; & illas me oportet adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Cap. 11. 51. 52. *Hoc autem à semetipso non dixit: sed cùm esset pontifex anni illius prophetauit quod Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant*

erant dispersi congregaret in vnum. Cap. 12. 35. 36. Dixit ergo eis Iesus, adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris nescit quo vadat: dum lucem habetis credite in lucē, vt filij lucis sitis. Hæc locutus est Iesus, & abijt & abscondit se ab eis. Veri. 45. 46. Et qui videt me videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me in tenebris non maneat. Act. 1. 8. Sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ, Ibidem cap. 13. 46. 47. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt, vobis oportebat prius loqui verbum Dei: Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus; posuite in lucem gentium vt sis in salutem vsq; ad extremum terræ. Rom. 3. 29. 30. An iudæorum Deus tantum? nonne & gentium? imo & gentium; quoniam quidem vnus est Deus qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Ibid. cap. 9. 24. 25. 26. Quos & vocauit nos non solum ex Iudæis sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit: vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco vbi dictum est eis: non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui. Capit. 15. 8. 9. 10. 11. 12. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter

veritatem

veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum sicut scriptum est. Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit. Lætamini gentes cum plebe eius. Et iterũ. Laudate omnes gẽtes Dominum: & magnificate eum omnes populi. Et rursus Isaias ait. Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. Ephes. 3. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Huius rei gratia ego Paulus vinctus Christi Iesu pro vobis gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est vobis: quoniam secundum revelationem notum factum est mihi sacramentum sicut supra scripsi in brevi, prout potestis legentes intelligere prudentiam meã in misterio Christi; quod aliis generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis eius & prophetis in Spiritu. Gentes esse cohæredes & concorporales & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per euangelium. 1. Petr. 2. 9. 10. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

CAPVT XI.

Christus est mediator noster.

FIGVRAE. Exod. 25. 17. Facies & propitiatorium de auro mundissimo, duos cubitos & dimidium

midium tenebit longitudo eius, & cubitum ac semissem latitudo. Vers. 22. *Inde præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium; ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonij, cunctaq; mandabo per te filijs Israël.* 2. Par. 6.36. 37. 38. 39. *Si autem peccauerint tibi (neq; enim est homo qui non peccet) & iratus fueris eis, & tradideris hostibus, & captiuos duxerint eos in terram longinquam vel certè quæ iuxta est, & conuersi in corde suo in terra ad quam captiui ducti fuerant, egerint pœnitentiam, & deprecati fuerint in terra captiuitatis suæ, dicentes: peccauimus, iniquè fecimus, iniustè egimus; & reuersi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, in terra captiuitatis suæ ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ quam dedisti patribus eorum, & vrbis quam elegisti, & domus quam ædificaui nomini tuo: tu exaudies de cælo, hoc est, de firmo habitaculo preces eorum, & facias iudicium, & dimittas populo tuo quamuis peccatori.* Vers. 42. *Domine Deus ne auerteris faciem Christi tui: memento misericordiarum Dauid seruui tui.*

PROPHETIAE. Psalm. 83. 10. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Psalm. 131. 10. *Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui.* Isai. 37. 35. *Et protegam ciuitatem istam, vt saluem eam propter me & Dauid seruum meum.*

VERITAS. Ioan. 17. 9. 10. *Ego pro eis rogo non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi,*

quia tui sunt : & mea omnia tua sunt, & tua
mea sunt, & clarificatus sum in eis. Vers. 19. 20.
21. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint
& ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis ro-
go tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per
verbum eorum in me : ut omnes unum sint, sic
cut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nob
bis unum sint, ut credat mundus quia tu me mi
sisti. Rom. 1. 2. Iustificati ergo ex fide, pacem ha
beamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Chri
stum : per quem & habemus accessum per fidem in
gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe glo
ria filiorum Dei. Ibidem cap. 8 3 4. Nam quod
impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem,
Deus filium suum mittens in similitudinem carnis
peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne :
ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secun-
dum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.
Ephes. 2. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Gra-
tia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis :
Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glo
rietur. Ipsius enim sumus factura creati in (Chri
sto Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus ut
ijs ambulemus. Propter quòd memores estote quod
aliquando vos gentes in carne, qui dicebamini præ
putium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu
facta: quia eratis illo in tempore sine (Christo, alieni
à conuersatione Israël, & hospites testamentorum
promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc
mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos qui aliquan-
do

do eratis longè. facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans: vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem iis qui propè, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem. 1. Timoth. 2. 5. 6. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus; qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis. Hebr. 7. 25. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Ibidem capit. 8. 6. 7. Nunc autem melius sortitus est ministerium quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus promissionibus sanctum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non vtiq; secundi locus inquireretur. Capit. 9. 13. 14. 15. 16. Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum DEO, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? Et ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum

prauaricationum quæ erant sub priori testamento, r
promissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæ
reditatis: vbi enim testamentum est, mors necesse e
intercedat testatoris. Vers. 24. Non enim in man
facta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum
sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei p
nobis. Capit. 12. 22. 23. 24. Sed accessistis ad Sio
montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cæ
stem, & multorum millium angelorum frequentiæ
& ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in c
lis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustor
perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesu
& sanguinis aspersionem melius loquentem quã
Abel. 1. Ioan. 2. 1. 2. Filioli mei hæc scribo vobis v
non peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum h
bemus apud patrem Iesum Christum iustum; & ip
est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris au
tem tantum, sed etiam pro totius mundi.

CAPVT XII.

Christus est verus Messias, Spiritu sancto & omnium donorum plenitudine vnctus.

FIGVRAE. 3. Reg. 1. 32. 33. 34. 35. Di
quoq; rex Dauid: vocate mihi Sadoch sacer
tem & Nathan prophetam, & Banaiam filium
iadæ. Qui cùm ingressi fuissent coram rege, dixit
eos: tollite vobiscum seruos Domini vestri, & imp
te Salomonem filium meum super mulam meam,
ducite eum in Gihon, & vngat eum ibi Sadoch
cerdos, & Nathan propheta in regem super Isr
&

& canetis buccina, atq; dicetis: viuat rex Salomon. Et ascendetis post eum, & veniet & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me; illiq; præcipiam vt sit dux super Israël & super Iudam.

PROPHETIAE. Psal. 44. 8. 9. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Myrrha & gutta, & casia a vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Isai. 11. 1. 2. 3. Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neq; secundum auditum aurium arguet. Capit. 61. 1. 2. Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit Dominus me; ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro, vt consolarer omnes lugentes,

VERITAS. Luc. 4. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ, & vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm

plicuisset librum reddidit ministro, & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos, quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: nonne hic est filius Ioseph? Ioan. 1. 15. 16. 17. Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens: hic erat quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia; quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Vers. 40. 41. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus qui audierant à Iohanne, & secuti fuerant eum. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Ibidem capit. 4. 25. 26. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus) cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia. Dicit ei Iesus, Ego sum qui loquor tecum. Actor. 2. 36. Certissime ergo sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.

CAPVT XIII.

Christus est oblatio, hostia, & sacerdos.

FIGVRAE. Genes. 14. 18. 19. At verò Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & dixit: benedictus Abraham Deo excelso qui creauit

lum & terram. 1. Reg. 2. 3. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* Vers. 5. *Repleti prius, pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios infirmata est.*

PROPHETIAE. Psalm. 39. 7. 8. 9. 10. *Sacrificium & oblationem noluisti; aures autem perfeciſti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* &c. Vers. 11. *Iustitiã tuam, non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi.* Psal. 109. 4. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Isai. 22. 15. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: vade ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum. Quid tu hîc, aut quasi quis hic?* Vers. 19 20 21. 22. *Et expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa: vocabo seruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eũ, & potestatẽ tuam dabo in manu eius & erit quasi pater habitantibus Ierusalẽ, & domui Iuda. Et dabo clauẽ domus Dauid super humerũ eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & nõ erit qui aperiat.* Zach. 3. 1. *Et ostendit mihi Dominũ Iesum sacerdotẽ magnũ stantem corã angelo Domini:*

& Satan stabat à dextris eius vt aduersaretur ei. Ibid. 6. 11. 12. 13. Et sumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, & loqueris ad eum dicens; hæc ait Dominus exercituum, dicens: Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur & ædificabit templum Domino, & ipse extruet templum Domino; & ipse portabit gloriam, & sedebit & dominabitur super solio suo, & erit sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos.

VERITAS. Ioan. 17. 19. Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Ephes. 5. 1. 2. Estote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Heb. 4. 14. 15. 16. Habentes ergo pontificem magnum qui penetrauit cælos, Iesum Christum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem: non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato. Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Ibid. cap. 5. 4. 5. 6. 7. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit; tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchi-

dec

dech. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum qui posſit illum saluum facere à morte cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia. Vers. 8. 9. 10. Et quidem cùm esset filius Dei, didicit ex ijs quæ passus est obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech. Cap. 7. 23. 24. 25. 26. 27. 28. Et alij quidem facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem eo quòd maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem, quotidie (quemadmodum sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel semetipsum offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: Sermo autem iusiurandi qui post legem est, Filium in æternum perfectum. Cap. 10. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi; ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens: quia hostias, & oblationes & holocaustomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundũ

legem offeruntur tunc dixi: ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam, aufert primum, vt sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, & easdem sapè offerens hostias quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet a dextera Dei, de cætero exspectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.

CAPVT XIIII.

Christus est ostium nostrum.

IOan.10.7.8.9. *Dixit ergo eis iterum Iesus: amen, amen dico vobis quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones, & non audierunt eos oues. Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur; & ingredietur & egredietur & pascua inueniet.*

CAPVT XV.

Christus est pastor bonus & verus.

FIGVRA. Genes. 31. 39. In Iacob patriarcha qui inquit ad Laban. *Nec captum a bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quicquid furto peribat à me exigebas.*

PROPHETIAE. Psal. 22.1. 2. 3. *Dominus regit me & nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iu-*

stitiæ

stitiæ propter nomen suum. Isai. 40. 11. *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Ierem. 23. 3. 4. *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc: & conuertam eos ad rura sua, & crescent & multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores, & pascent eos: non formidabunt vltrà, & non pauebunt, & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus.* Ezech. 34. 10. 11. 12. 13 14. 15. *Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos vt vltrà non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltrà eis in escam. Quia hæc dicit Dominus Deus: ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis vberrimis pascam eas, & in mõtibus excelsis Israël erunt pascua earum; ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël.* Vers. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. *Pro eo quòd lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris vẽtilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerẽtur foras: saluabo gregẽ meũ, & non erit vltrà in rapinã,*

& iudicabo inter pecus & pecus. Et suscitabo super eas pastorem vnum qui pascat eas, seruum meum Dauid: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego enim Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid, princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum. Et faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra: & qui habitant in deserto securi dormient in saltibus. Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem: & deducam imbrem in tempore suo, pluuiæ benedictionis erunt. Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum, & erunt in terra sua absq; timore, & scient quia ego Dominus cùm contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi. Et non erunt vltrà in rapinam in gentibus, neq; bestiæ terræ deuorabunt eos; sed habitabunt confidenter absq; vllo terrore. Et suscitabo eis germen nominatum, & non erunt vltrà imminuti fame in terra, neq; portabunt vltrà opprobrium gentium. Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, & ipsi populus meus domus Israël, ait Dominus Deus. Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis: & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus. Ibidem cap. 37. 24. Et seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum; in iudiciis meis ambulabunt, & mandata mea custodient & facient ea. Mich. 5. 2. 3. 4. Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio, a diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos vsq; ad

tempus

tempus, in quo pariturus pariet & reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israël. Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: & conuertentur, quia nunc magnificabitur vsq; ad terminos terræ. Zachar. 11. 4. 5. 6. 7. *Hæc dicit Dominus Deus meus, pasce pecora occisionis, quæ qui possiderant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea dicentes: benedictus Dominus, diuites facti sumus; & pastores eorum non parcebant eis. Et ego non parcam vltra super habitantes terram, dicit Dominus: ecce ego tradam homines, vnumquemq; in manu proximi sui, & in manu regis sui: & concident terram, & non eruam de manu eorum. Et pascam pecus occisionis propter hoc ô pauperes gregis: & assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui Decôrem, & alteram vocaui Funiculum, & paui gregem.* Ibidem cap. 13. 7. *Phrama mea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem & dispergentur oues, & conuertam manum meam ad paruulos.*

VERITAS. Matth. 26. 30. 31. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti. Tunc dicit illis Iesus: omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte; scriptum est enim. Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis.* Ioan. 10. *11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit, &*

gu & lupus rapit & dispergit oues: mercenarius autem fugit quia mercenarius est, & non pertinet ad eũ de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meã audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor. Propterea me diligit Pater: quia ego ponam animam meam, & iterum sumam eam. Heb. 13. 20. 21. *Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorẽ magnum ouium in sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum: cui est gloria in secula seculorum, Amen* 1. Petr. 2. 25. *Eratis enim sicut oues errãtes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum.* Ibid. capit. 5. 2. 3. 4. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neq; turpis lucri gratia, sed voluntariè: neq; vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit princeps pastorum percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.*

CAPVT XVI.

Christus est pax, & pacificator, & purificator.

EPhes. 2. 4. *Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis conuiuificauit*

ficauit nos in Christo (cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu. Vers. 14. 15. 16. 17. 18. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua; legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem iis qui propè. Quoniam per ipsum habemus accessum in vno Spiritu ad Patrem. Colloss. 1. 18. 19. 20. 21. 22. Et ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati & inimici sensu, in operibus malis; nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso. Ibidem cap. 3. 14. 15. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore, & gratiesstote.

Plura capite sequenti decimo septimo & decimo octauo, decimo nono & 21.

* * *

CAPVT

CAPVT XVII.

Christus est propitiatio nostra.

ROman. 3. 24. 25. 26. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.* 1. Ioan. 2. 1. 2. *Filioli mei hæc scribo vobis vt non peccetis, sed & si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Ibidem. cap. 4. 10. 11. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.*

CAPVT XVIII.

Christus est reconciliator noster.

1. Corinth. 15. 18. 19. 20. 21. *Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si enim in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Colloss. 1. 20. 21.

Et

omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Et vos cùm essetis aliquando alienati & inimici sensu, in operibus malis: nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso. Plura capite decimo sexto, decimo septimo, decimo nono, vigesimo primo.

CAPVT XVIIII.

Christus redemptor noster per sanguinem suum.

FIGVRAE. Exod. 12. 13. *Erit autem sanguis* (agni scilicet paschalis) *vobis in signum in ædibus in quibus eritis, & videbo sanguinem & transibo vos, nec erit in vobis plaga dissipans quando percussero terram Ægypti.* Deut. 13. 5. *Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est vt vos auerteret à Domino Deo vestro qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo seruitutis, vt errare te faceret de via quam tibi præcepit Dominus Deus tuus; & auferes malum de medio tui.*

PROPHETIAE. Iob. 19. 26. 27. *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum: Scio enim quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Psalm. 3. 6. *Ego dormiui & soporatus sum: & exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Psalm. 50. 9. *Asperges me hyssopo & mundabor: lauabis me &*

super niuem dealbabor. Psalm. 77. 35. *Et rememorati sunt quia Deus adiutor est eorum: & Deus excelsus redemptor eorum est.* Psalm. 106. 2. *Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos.* Psal. 110. 9. 10. *Redemptionem misit populo suo: mandauit in aternum testamentum suum. Sanctum & terribile nomen eius: Initium sapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi.* Psalm. 129. 6. 7. 8. *Acustodia matutina vsq; ad noctem speret Israël in Domino. Quia apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.* Sapien. 9. 19. *Nam per sapientiam sanati sunt, quicunq; placuerunt tibi Domine à principio.* Ibidem. 10. 12. *Custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum: & certamen forte dedit illi, vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia.* Isai. 41. 13. 14. *Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam dicens q; tibi: ne timeas, ego adiuui te. Noli timere vermis Iacob, qui mortuus stis ex Israël: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, & redemptor tuus sanctus Israël.* Ibid. cap. 43. 1. 2. 3. *Et nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob & formans Israël: noli timere quia redemi te, & vocauite nomine tuo, meus es tu. Cùm pertransieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cùm ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus sanctus*

ctus Israël saluator tuus dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam & Saba pro te. Vers. 11. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absq; me saluator Vers. 14. Hæc dicit Dominus redemptor vester, sanctus Israël: propter vos misi in Babilonem, & detraxi vectes vniuersos, & Chaldæos in nauibus suis gloriantes. Capit. 44. 6. 7. Hæc dicit Dominus rex Israël, & redemptor eius Dominus exercituum: ego primus, & ego nouissimus, & absq; me non est Deus. Quis similis mei? vocet, & annunciet, & ordinem exponat mihi ex quo constitui populum antiquum: ventura & quæ futura sunt annuncient eis. Vide vers. 25. Hæc dicit Dominus redemptor tuus & formator tuus ex vtero: ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum. Capit. 52. 9. 10. Gaudete & laudate simul deserta Ierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem, parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Capit. 53. 5. 6. Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ supra eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Vers. 10. 11. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum, & voluntas Do-

mini in manu eius dirigetur. Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur: in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Capit. 54. 5. 6. 7. 8. *Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius: & redemptor tuus sanctus Israël, Deus omnis terræ vocabitur. Quia vt mulierem derelictam & mœrentem spiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adolescentia abiectam, dixit Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momẽto indignationis abscondi faciẽ meã paulũ per à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit redemptor tuus Dominus,* Cap. 60. 15. 16. *Pro eo quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem. & suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis, & scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* Capit. 62. 11. 12. *Ecce Dominus audituum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Et vocabunt eos populus sanctus redempti à Domino. Tu autem vocaberis quæsita ciuitas, & non derelicta.* Ierem. 31. 34. *Et non docebit vir vltrà proximum suum, & vir fratrem suum dicens; Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum vsq; ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccatorum non memorabor amplius.* Ezech. 34. 12. *Sic*

visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Dan. 9. 24. *septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur prævaricatio, & finẽ accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia.* Osee. 7. 13. 14. *Væ eis quoniam recesserunt à me, vastabuntur quia prævaricati sunt in me: & ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia. Et non clamauerunt ad me in corde suo, sed vlulabunt in cubilibus suis: super triticum & vinum ruminabant, & recesserunt à me.* Ibidem capit. 13. 14. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morsus tuus inferne.* Ioël. 2. 32. *Et erit omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit: quia in monte Sion & in Ierusalem erit saluatio sicut dixit Dominus, & in residuis quos Dominus vocauerit.* Abd. 17. *Et in monte Sion erit saluatio, & erit sanctus: & possidebit domus Iacob eos qui se possederant.* Vers. 21. *Et ascendent saluatores in montem Sion iudicare montẽ Esau: & erit Domino regnum.* Mich. 7. 18. 19. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet vltrà furorem suum: quoniam volens misericordiam est. Reuertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras: & proiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Na-

hum. 1. 15. *Ecce super montes pedes euangelizantis & annunciantis pacem; celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adyciet vltrà vt pertranseat in te Belial, vniuersus interijt.* Soph. 3. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Lauda filia Sion, iubila Israël, lætare & exulta in omni corde filia Ierusalem: abstulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos rex Israël Dominus in medio tui, non timebis malum vltrà. In die illa dicetur Ierusalem: noli timere, Sion, non dissoluantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit, gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude. Nugas, qui à lege recesserant, congregabo, qui exterant: vt non vltrà habeas super eis opprobrium. Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo, & saluabo claudicantem, & eam quæ ejecta fuerat, congregabo: & ponam eos in laudem, & in nomen, in omni terra confusionis eorum. In tempore illo quo adducam vos, & in tempore quo congregabo vos: dabo enim vos in nomen & in laudem omnibus populis terræ, cùm conuertero captiuitatem vestram coram oculis vestris dicit Dominus.* Zachar. 3. 9. *Quia ecce lapis quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam eius ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.* Ibidem capit. 9. 11. *Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo est aqua.* Ibidem capit. 13. 1. *In die illa erit fons patens*

mui Dauid & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Malach. 3. 2. 3. *Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis ſtabit ad videndum eum? ipſe enim quaſi ignis conflans & emundans argentum: & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.* Ibidem capit. 4. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius: & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento.*

VERITAS. Matth. 20. 26. 27. *Non ita erit inter vos, ſed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus: Sicut filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Ibidem capit. 26. 28. *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Luc. 1. 68. *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Ibidem capit. 21. 28. *His autem fieri incipientibus reſpicite & leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Ioan. 1. 29. *Altera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Actor. 10. 43. *Huic omnes prophetæ teſtimoniū perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomē eius omnes qui credunt in eū.* Rom. 3 24. 25. 26. *Iuſtificati gratis per gratiā ipſius per redemptionē quæ eſt*

in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentationem Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. 1. Cor. 1. 30. 31. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio: vt quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur. Ibidem capit. 6. 20. Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Ibidem capit. 7. 23. Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. Galat. 3. 13. 14. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (quia scriptũ est: maledictus omnis qui pendet in ligno) vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu; vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. Eph. 1. 7. 8. 9. 10. In quo (Christo) habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia: vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensationem plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt in ipso. Vers. 13. 14. In quo & vos cùm audissetis verbum veritatis (euangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.

Ibidem

Ibidem capit. 2. 17. 18. *Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem ijs qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem.* Heb. 9. 11. 12. 13. 14. *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis: neq; per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta aeterna redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? Et ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erat sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternæ hæreditatis.* Vers. 22. 23. 24. 25. *Et omnia penè in sanguine secundum legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostijs quàm istis. Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno.* Vers. 26. 27. 28. *Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel*

in consummatione seculorum, ad destructionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, secundò sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem. 1. Petr. 1. 18. 19. 20. 21. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redēpti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis: Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem; manifestati autem nouissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam vt fides vestra & spes esset in Deo.* 1. Ioan. 1. 7. *Si autem in luce ambulamus sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* Ibid. capit. 2. 1. 2. *Filioli mei hæc scribo vobis vt non peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem peccatis tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Cap. 4. 10. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Apoc. 1. 5. 6. *Et à Iesu Christo qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum, & sacerdotes Deo & Patri suo: ipsi*

gloria

gloria & imperium in secula seculorum, Amen. Ibid. cap. 5. 8. 9. 10. *Et cùm aperuisset librum quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: & cantabant canticum nouum, dicentes: dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram.* Capit. 13. 8. *Et adorauerunt eum omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.*

CAPVT XX.

Christus est resuscitator corporum nostrorum.

PROPHETIA. Isai. 26. 19. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere: quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.*

VERITAS. Matth. 9. 25. *Et cùm ejecta esset turba, intrauit & tenuit manum eius, & surrexit puella.* Ibidem capit. 27. 52. *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Marc. 5. 41. 42. *Et tenens manum puellæ ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatũ puella (tibi dico) surge, & confestim surrexit puella & ambulabat, erat autẽ annorũ duodecim: & obstupuerunt stupore magno.* Luc. 7. 13. 14. 15. *Quam cùm vidisset Dominus misericordia motus super eã,*

dixit

dixit illi, noli flere, & accessit & tetigit loculum, (hi autem qui portabant, steterunt) & ait: adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Ibidem, cap. 8. 54. 55. *Ipse autem tenens manum eius clamauit, dicens: puella, surge. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuò.* Ioan. 5. 25. *Sicut enim pater resuscitat mortuos, & viuificat: Sic & filius quos vult viuificat:* Vers. 25. *Amen, amen dico vobis quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent.* Ibidem capit. 6. 39. 40. *Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, patris: vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est autem voluntas patris mei qui misit me: vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Capit. 11. 43. 44. *Hæc cùm dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: soluite eum & sinite abire.*

CAPVT XXI.

Christus est omnium nostrum Saluator.

FIGVRAE. In Ioseph. (Genes. 41. 44. 45.) *Dixit quoq; rex ad Ioseph: ego sum Pharao, absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti, vertitq; nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca saluatorem mundi:* de-

di: deditq; illi vxorem Aseneth filiam Putipharis sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaq; Ioseph ad terram Ægypti. Ibidem capit. 45.5. *Nolite pauere, neq; vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.* Ibid. capit. 49. 18. *Salutare tuum exspectabo Domine.*

PROPHETIAE. Iob. 13. 16. *Et ipse erit saluator meus: non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita.* Psalm 13. 7. *Quis dabit ex Sion salutare Israël? cùm auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israël.* Psalm. 24. 5. *Dirige me in veritate tua & doce me: quia tu es Deus saluator meus, & te sustinui tota die.* Psalm. 52. 7. *Quis dabit ex Sion salutare Israël? cùm conuerterit Deus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israël.* Psal. 61. 7, 8. *Quia ipse Deus meus, & saluator meus: adiutor meus non emigrabo. In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est.* Psal. 97. 1. 2, 3. *Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dextera eius: & brachium sanctum eius. Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ, domui Israël. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.* Isai. 12. 2. *Ecce Dominus saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Ibidem capit. 19. 20.

Erit

Erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominũ à facie tribulantis, & mittet eis salnatorẽ & propugnatorẽ qui liberet eos. Cap. 33. 21. *Dominus enim iudex noster, Dominꝰ legifer noster, Deus rex noster, ipse saluabit nos.* Cap. 35. 4. *Dicite pusillanimis: cõfortamini, & nolite timere, ecce Deus vester vltionẽ adducet retributionis, Deus ipse veniet & saluabit vos.* Capit. 43. 11. 12. 13. *Ego sum, ego sum Dominus, & non est absq; me saluator. Ego annunciaui & saluaui: auditum feci, & non fuit in vobis alienus: vos testes mei, dicit Dominus, & ego Deus. Et ab initio ego ipse, & non est qui de manu mea eruat: operabor & quis auertet illud?* Cap. 45. 8. *Rorate cæli desuper & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluatorem, iustitia oriatur simul: ego Dominus creaui eum.* Vers. 15. *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël saluator.* Capit. 49. 6. 7. 8. *Et dixit. Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israël conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus redemptor Israël, sanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum: reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum quia fidelis est, & sanctum Israël qui elegit te. Hæc dicit Dominus: in tempore placito axaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas.* Capit. 51. 4. 5. *Attende ad*

me

me populo meus, & tribus mea me audite: quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet. Propè est iustus meus, egressus est saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt: me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt. Cap. 62. 1. 2. Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum: & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit. Vers. 11. 12. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ: dicite filiæ Sion: ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Et vocabunt eos populus sanctus redempti à Domino: tu autem vocaberis quæsita ciuitas & non derelicta. Capit. 63. 8. 9. Et dixit: veruntamen populus meus est, filij non negantes: & factus est eis saluator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & angelus faciei eius saluauit eos: in dilectione sua & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus sæculi. Ierem. 14. 8. 9. Expectatio Israël, saluator eius in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, vt fortis qui non potest saluare se? Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos. Daniel. 6. 27. Ipse liberator atq; saluator faciens signa & mirabilia in cælo & in terra; qui liberauit Danielem de lacu leonum.

Osee

Osee. 1. 7. *Et domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo; & non saluabo eos in arcu, & in gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.* Ibid. 13. 4. *Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, & Deum absq; me nescies, & saluator non est præter me.* Mich. 7. 7. *Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum saluatorem meum audiet me Deus meus.* Abac. 3. 13. *Egressus es in salutē populi tui: in salutē cum Christo tuo.* Zachar. 9. 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluator: ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.*

VERITAS. Matth. 1. 20. 21. *Et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ibidem capit. 18. 11. *Venit enim filius hominis saluare quod perierat.* Luc. 2. 10. 11. *Et dixit illis angelus: nolite timere. Ecce enim euāgelizo vobis gaudiū magnū quod erit omni populo, quia natus est nobis hodie saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid.* Ioan. 3. 16. 17. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ibidem capit. 4. 42. *Et mulieri dicebant: quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audimus & scimus, quia hic est verè saluator mundi.* Capit. 10. 9. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur*

& ingredietur & egredietur & pascua inueniet. Act. 4. 11. 12. *Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.* Ibidem capit. 5. 30. 31. *Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum quem vos interemistis suspendentes in ligno. Hunc principem & saluatorem Deus exaltauit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israëli, & remissionem peccatorum.* Capit. 13. 23. 24. *Huius Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israël saluatorem Iesum, prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius baptismum pœnitentiæ omni populo Israël.* Vers. 46. 47. *Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus, posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsq; ad extremum terræ.* Capit. 28. 28. *Notum sit ergo vobis, quoniam gentibus missum est saluatare Dei, & ipsi audient.* Ephes. 2. 3. 4. 5. 6. *Deus autem qui dues est in misericordia propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo (cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Ibidem capit. 5. 23. *Quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ: ipse saluator corporis eius.* Phil. 3. 20. 21. *Nostra autem conuersatio in cœlis est: vn-*

de etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subijcere sibi omnia. 2. Tim. 1. 10. 11. Manifestata est autem nunc per illuminationem saluatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionē per euangelium: in quo positus sum ego prædicator, & apostolus, & magister gentium. Titum. 1. 3. 4. Manifestauit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum saluatoris nostri Dei. Tito dilecto filio suo secundum communem fidem gratia & pax a Deo patre, & Christo Iesu saluatore nostro. Ibidem cap. 2. 10. 11. 12. 13. 14. Apparuit enim gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria: sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Cap. 3. 4. 5. 6. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum. Hebr. 2. 10. Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia: qui multos

eos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Ibidem capit. 5.8.9.10. Et quidem cùm esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech. Capit. 7.25.26. Vnde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. 1. Petr. 1. 10, 11. De qua salute exquisierunt atq; scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt: scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. 2. Petr. 3. 18. Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri, & saluatoris Iesu Christi. Ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen. Ioan. 4.14.15. Et nos vidimus & testificamur quoniam Pater misit Filium suum saluatorem mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.

CAPVT XXII.

Christus est via nostra.

FIGVRAE Exod. 23. 20. 21. 22. Ecce ego mitto angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem parau. Obserua

eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cùm peccaueris, & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Deut. 32. 10. 11. 12. *Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis: circumduxit eum & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans; expandit alas suas, & assumpsit eum atq; portauit in humeris suis. Dominus solus dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus.* Raphaël angelus datus itineris socius iuniori Tobiæ. Tob. 5. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Quem & in itinere medicinam docet. Capit. 11. 1. 2. 3. 4. 12. 13. 14. 15. 16. ac demum illi multa bona præstitit. Tob. 12. 1. 2. 3. 4. 5. maximum verò beneficium præstitit cum dæmonium apprehensum ligauit. Tob 8. 3. vt dicamus cum iuniore Tobia. Tob. 12. 3. *Me duxit & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, vxorem ipse me habere fecit (* Ecclesiam scilicet*) & dæmonium ab ea compescuit, gaudium parentibus eius fecit, maa ipsum à deuoratione piscis eripuit, te quoq; videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?*

PROPHETIAE. Psalm. 15. 11. *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsq; in finem* Psal. 66. 3. *Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus*

nibus gentibus salutare tuum. Psalm. 76. 14. *Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.* Isai. 35. 8. *Et erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus: & hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam.* Ibid. cap. 25. 20. 21. *Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis: præcedet enim vos Dominus & congregabit vos Deus Israël.* Capit. 55. 4. 5. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt ad te current, propter Dominum tuum & sanctum Israël, quia glorificauit te.* Ierem. 30. 21. 22. *Et erit dux eius ex eo, & princeps de medio eius producetur, & applicabo eum, & accedet ad me: quis enim iste est, qui applicet cor suum vt appropinquet mihi, ait Dominus? Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.*

VERITAS. Matth. *11. 29. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Ioan. 8. 12. *Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens: ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Ibidem capit. *13. 15. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Capit. *14. 6. Dicit ei Iesus: ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad patrem nisi per me.* Actor. *1. 1. 2. Primùm quidem sermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere, vsq; in diem*

qua præcipiens apostolis, per spiritum sanctum quos elegit, assumptus est. 1. Cor. 11. 1. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ephes. 5. 1. 2. Estote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo, in odorem suauitatis. 1. Petr. 2. 21. 22. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. 1. Ioan. 2. 6. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.

CAPVT XXIII.

Christus est vita nostra æterna, lætitia, gaudium, & gloria sanctorum.

PROPHETIAE. Psal. 144. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt: & iustitia tua exultabunt. Miserator & misericors Dominus: patiens & multum misericors. Suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur: vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem. Isai. 25. 8. Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium

brium populi sui auferet de vniuersa terra : quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa : ecce Deus noster iste, expectauimus eum & saluabit nos : iste Dominus : sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutare eius. Ibidem capit. 35. 9. 10. *Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi : & ambulabunt qui liberati fuerint. Et redempti à Domino conuertentur & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum : gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Capit. 60. 18. 19. 20. 21. 22. *Non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te : Sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & DEVS tuus in gloriam tuam. Non occidet vltrà sol tuus, & luna tua non minuetur : quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plãtationis meæ, opus manus meæ, ad glorificandum. Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimã ; ego Dominus in tẽpore eius subitò faciam istud.* Cap. 65. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Propter hoc hæc dicit Dominꝰ Deus : ecce serui mei comedẽt, & vos esurietis, ecce serui mei bibẽt, & vos sitietis, ecce serui mei lætabũtur, & vos cõfundemini : ecce serui mei laudabũt præexultatione cordis, & vos clamabitis pro dolore*

cordis, & præcontritione spiritus vlulabitis. Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis: & interficiet te Dominus Deus, & seruos suos vocabit nomine alio. In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen, & qui iurat in terra, iurabit in Deo amen; quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, & quia abscondite sunt ab oculis meis. Ecce enim ego creo cælos nouos, & terrā nouam: & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor. Sed gaudebitis & exultabitis vsq; in sempiternum in his quæ ego creo: quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium. Ierem. 31. 10. 11. 12. 13. Audite verbum Domini gentes, & annunciate in insulis quæ procul sunt, & dicite: qui dispersit Israël congregabit eum, & custodiet eum, sicut pastor gregem suum. Redemit enim Dominus Iacob, & liberauit de manu potentioris. Ecce venient & laudabunt in monte Sion: & confluent ad bona Domini super frumento, & vino, & oleo, & fœtu pecorum, & armentorum; eritq; anima eorum quasi hortus irriguus, & vltrà non esurient. Ezech. 34. 24. 25. 26. 27. 28. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum, ego Dominus locutus sum. Et faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra: & qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem: & deducam imbrem in tempore suo, pluuiæ benedictionis erunt. Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum, & erunt in terra sua absq;

timore:

timore: & scient quia ego Dominus cùm contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi. Et non erunt vltrà in rapinam in gentibus, neq; bestiæ terræ deuorabunt eos: sed habitabunt confidenter absq; vllo terrore. Ioël. 3.18. *Et erit, in die illa stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes riuos Iudæ ibunt aquæ; & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum* Vers. 20. 21. *Et Iudæa in æternum habitabitur, & Ierusalem in generationem & generationem. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaueram, & Dominus commorabitur in Sion.*

VERITAS. Ioan. *1. 4. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Ibidem. *3.14.15. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Capit. 4. 10. *Respondit Iesus, & dixit ei: si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere: tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Vers. 13.14. *Respondit Iesus, & dixit eis: omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Capit. 5. 24. 25. 26. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam. Amē, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est quando mor-*

tui audient vocem Filij Dei & qui audierint, viuent: Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso. Capit. 6. 33. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Vers. 40. Hæc est autem voluntas patris mei qui misit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Vers. 47. 48. 49. 50. 51. Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Vers. 54. Dixit ergo eis Iesus; amen, amen dico vobis: nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vers. 56. 57. 58. 59. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Cap. 7. 38. 39. Qui credit in me, sicut dicit scriptura flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autẽ dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Capit. 10

pit. 10. 9. 10. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur & pascua inueniet. Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni vt vitã habeant, & abundantius habeant.* Vers. 27. 28. *Oues meæ vocẽ meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Capit. 11. 25. *Dixit ei Iesus: ego sum resurrectio & vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Capit. 14. 6. *Dicit ei Iesus; ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* Capit. 17. 3. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* 1. Corinth. 2. 8. *Quam nemo principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Colloss 3. 4. *Cùm Christus apparuerit, vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Tit. 2. 13. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi.* 2. Petr. 1. 2. *Simon Petrus, seruus, & apostolus Iesu Christi iis, qui coæqualem sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri, & saluatoris Iesu Christi. Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione DEI, & Christi Iesu Domini nostri: quomodo nobis omnia diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute.* 1. Ioan. 1. 1. 2. *Quod fuit ab initio,*

quod

quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ: & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annnuciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis, Ibidem. 5. 11. 12. 13. *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio eius est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet. Hæc scribo vobis; vt sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.* Vers. 20. 21. *Et scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Apoc. 5. 9. 10. *Et cantabant canticum nouum dicentes: dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram.* Ibidem capit 7. 14. 15. 16. 17. *Et dixi illi: Domine mi tu scis. Et dixit mihi. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius Et qui sedet in throno, habitabit super illos: non esurient, neq; sitient amplius, nec cadet super illos sol, neq; vllus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachry-*

mam

mam ab oculis eorum. Capit. 22. 12. 13. 14. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuiq; secundum opera sua. Ego sum* A. *&* Ω. *primus & nouissimus, principium & finis. Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni: vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.*

LIBER

LIBER QVARTVS.

DE MANIFESTATIONE CHRISTI AB ANNO AETATIS XXX. AD SVAM SANCTISSIMAM PASSIONEM.

CAPVT PRIMVM.

DE S. IOHANNE BAPTISTA PRÆcursore Christi, & eius prædicatione.

FIGVRA. Ante currum Ioſephi mandato Pharaonis preco clamare iubetur, vt omnes flectant ante Ioſephum genua & ſciant eum eſſe præpoſitum & ſaluatorem mundi. Geneſ. 41. 40. 41. 42. 43. 44. 45.

PROPHETIAE. Pſalm. 28. 3 4.5.6.7. 8.9. *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas. Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros*

cedros Libani : & comminuet eas tanquam vitulum Libani : & dilectus quemadmodum filius unicornium. Vox Domini intercidentis flammam ignis : vox Domini concutientis desertum : & commouebit Dominus desertum Cades. Vox Domini preparantis ceruos : & reuelabit condensa : & in templo eius omnes dicent gloriam. Isai. 35. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans : gloria Libani data est ei : decor Carmeli & Saron ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimis ; confortamini, & nolite timere : ecce Deus vester vltionẽ adducet retributionis, Deus ipse veniet & saluabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorũ patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum : quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Ibid. cap. 40. 3. 4. 5. Vox clamantis in deserto : parate viã Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prauа in directa, & aspera in vias planas : & reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Cap. 41. 18. 19. 20. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes : ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ : ponam in deserto abietem

rem, vlmum, & buxum simul: vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter quia manus Domini fecit hoc, & sanctus Israël creauit illud. Capit. 49. l. 2. Audite insulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum: in vmbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam in pharetra sua abscondit me. Malach. 3. 1. Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis. Ibidem capit. 4. 5. 6. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.

VERITAS. Matth. 3. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens; pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam, dicentem: vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre. Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua. Videns autem multos pha-

risæorum

risæorum & Saducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere a venturaira? facite ergò fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & ignem mittetur. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Ibidem capit. 11. 2. 3. 4. 5. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Ioannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: tues qui venturus es, an alium expectamus? & respondens Iesus, ait illis. Euntes, renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? prophetam? etiam dico vobis, &

bis,& plus quam Prophetam. Hic est enim de qu
scriptum est : ecce ego mitto angelum meum ant
faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.
Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulie-
rum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in
regno cælorum, maior est illo. A diebus autem Ioa-
nis Baptistæ vsq; nunc regnum cælorum vim patitur,
& violenti rapiunt illud. Omnes enim prophetæ &
lex vsq; ad Ioannem prophetauerunt:& si vultis re-
cipere,ipse est Elias qui vēturus est. Qui habet aures
audiendi, audiat. Cui autem similem æstimabo gene-
rationem istam? Similis est pueris sedentibus in fo
qui clamantes coæqualibus dicunt: cecinimus vobis
& non saltastis:lamentauimus & non planxistis.Ve
nit enim Ioannes neq; manducans, neq; bibens,& dic
cunt:dæmonium habet. Venit filius hominis mandu-
cans,& bibens,& dicunt:ecce homo vorax,& potator
vini,publicanorum,& peccatorum amicus. Et iustifi-
ficata est sapientia à filijs suis. Capit. 14. 1. 2. In illo
tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu, &
ait pueris suis :hic est Ioannes Baptista,ipse surrexit
à mortuis,& ideo virtutes operantur in eo. Marc.
1. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Initium euangelij Iesu Chri
sti filij Dei, sicut scriptum est in Isaia prophetis
ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, q
præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in d
serto,parate viam Domini,rectas facite semitas eius
Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans ba
ptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.
egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio,& Ieroso

mitæ vniuersi, & baptizabãtur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas, & mel siluestre edebat. Et prædicabat, dicens: venit fortior post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu sancto. Luc. 1. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Ait autem ad illum angelus: ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Iohannem, & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus coram Domino, & vinum, & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: & multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad angelũ: vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Et respondens angelus, dixit ei: ego sum Gabriel, qui asto ante Deum; & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsq; in diem, quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Vers. 36. 37. 38. 39. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua; & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud

Deum omne verbum. Dixit autem Maria: ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus. Vers. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: nequaquam; sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt uniuersi. Apertum est autem illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes; quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus Spiritu sancto, & prophetauit, dicens. Vers. 76. 78. 79. 80. Et tu puer propheta Altissimi vocaberis. Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pa-

Puer autem crescebat, & confortabatur Spiritu: & erat in desertis usq; in diem ostensionis suæ ad Israël. Ibidem capit. 3. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Anno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurãte Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto: parate viam Domini: rectas facite semitas eius: omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa: & aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: genimina viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Et interrogabant eum turbæ, dicentes; quid ergo faciemus? respondens autem dicebat illis: qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & publicani*

vt baptizarentur, & dixerunt ad illũ: magister, quid faciemus? at ille dixit ad eos, nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: quid faciemus & nos? & ait illis, neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris. Vers. 16. 17. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Iohanne, ne fortè ipse esset Christus, respondit Ioannes, dicens omnibus: ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni: cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Ioan. 1. 6. 7. 8. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum: non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Vers. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas ad eum, vt interrogarent eum: tu quis es? & confessus est, & non negauit: & confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum: quid ergo? Elias es tu? & dixit, non sum. Propheta es tu? & respondit, non. Dixerunt ergo ei: quis es vt responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de te ipso, ait, ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Et qui missi fuerant,

erant ex phariſæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neq; Elias, neq; propheta? reſpondit eis Ioannes, dicens: ego baptizo in aqua; medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cuius ego ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. Idem Ioannes tandem capite truncatur. Matth. 14. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum: & poſuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris ſui. Dicebat enim illi Ioannes: non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum: quia ſicut prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis ſaltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus eſt ei dare quodcunq; poſtulaſſet ab eo. At illa præmonita à matre ſua, da mihi, inquit, hîc in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt rex: propter iuramentum autem, & eos, qui pariter diſcumbebant, iuſſit dari. Miſitq; & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum eſt caput eius in diſco, & datum eſt puellæ, & attulit matri ſuæ. Et accedentes diſcipuli eius, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud, & venientes nunciauerunt Ieſu. Marc. 6. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. Ipſe enim Herodes miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi

fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioanne: Herodi: non licet tibi habere vxorē fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Iohannem, sciens eum virum iustum & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et cùm dies oportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cumq; introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulq; recumbentibus, rex ait puellæ: pete à me quod vis, & dabo tibi, & iurauit illi: quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cùm exisset, dixit matri suæ: quid petam? at illa dixit: caput Ioannis Baptistæ. Cumq; introisset statim cum festinatione ad regem, petiuit, dicens: volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est rex propter iusiurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare: sed misso spiculatore præcepit afferri caput eius in disco. & decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.

CAPVT II.

Christus Dominus à D. Ioanne baptizatur.

FIGVRA. Vera arca Dei præcedit filios Israël transeuntes Iordanem, & flumina di- vidit, ne populus consequens submergatur. Ios. 3. 3. 4. Et clamare cœperunt. Quando videritis fœderis Domini Dei vestri, & sacerdotes stirpis Le-

tica portantes eam, vos quoq; consurgite, & sequimini precedentes: sit q; inter vos & arcam spatium cubitorum duum millium, vt procul videre possitis, & noſse per quam viam ingrediamini, quia prius non ambulastis per eam: & cauete ne appropinquetis ad arcam. Vers. 8. Tu autem præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, & dic eis. Cùm ingressi fueritis partem aquæ Iordanis state in ea. Vers. 11. Ecce, arca fœderis Domini omnis terræ, antecedet vos per Iordanem.

PROPHETIAE. Isai. 11. 1. 2. 3. Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiesceet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini: non secundum visionem oculorũ iudicabit, neq; secundũ auditũ aurium arguet. Ibid. cap. 42 1. 2. 3. 4. Ecce seruus meus suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritũ meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neq; accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium. Non erit tristis neq; turbulentus, donec ponat in terra iudicium: & legem eius insulæ expectabunt. Psalm. 28. 2. 3. Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius. Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

VERITAS. Matt. 3. 13. 14. 15. 16. 17. *Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum dicens, ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? respondens autem Iesus, dixit ei: sine modo, sic enim decet nos adimplere omnem iustitiam. Tunc dimisit eũ. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt cæli: & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cælis dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Marc. 1. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Et factum est in diebus illis; venit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane. Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos, & spiritum tanquam columbam descendentem, & manentem in ipso. Et vox facta est de cælis: tu es filius meus dilectus, in te complacui. Et statim spiritus expulit eum in desertum. Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana: eratq; cum bestys, & angeli ministrabant illi. Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam, prædicans euangelium regni Dei.* Luc. 3. 21. 22. 23. *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, apertum est cælum: & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cælo facta est: tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mat-*

thus

that. & cæt. Ioan. 29. 30. 31. 32. 33. 34. *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi quia prior me erat, & ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israël: propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.*

CAPVT III.

Christus ductus in desertum, 40. diebus ieiunans, tentatur à Diabolo.

FIGVRAE. 1. Dæmon in paradiso terrestri tentauit primos parentes vitio gulæ. Genes. 3. 1. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno Paradisi?* Vers. 3. 4. 5. *De fructu veró ligni quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus: & ne tangeremus illud ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem. Nequaquam morte moriemini: scit enim Deus quod in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.*

2. Ieiu-

2. Ieiunat Moyſes 40. diebus, & 40. noctibus, dum eſt cum Domino. Exod. 24. 18. *Ingreſſusq; Moyſes medium nebulæ aſcendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Ibid. 34. 28. *Fuit ergo ibi (* Moyſes ſcilicet *) cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit & aquam non bibit, & ſcripſit in tabulis verba fœderis decem.* Deut. 9. 9. *Quando aſcendi in montem vt acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti, quod pepegit vobiſcum Dominus: & perſeueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens.* Verſ. 18. *Et procidi ante Dominum ſicut prius, quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens & aquam non bibens, propter omnia peccata veſtra, quæ geſſiſtis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocaſtis.*

3. Dauid ſolus cum ſuperbo Goliad decertat. 1. Reg. 17. 48. 49. 50. 51.

4. Elias ſimiliter eſt figura. 3. Reg. 19. 8. *Qui cùm ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vſq; ad montem Dei Horeb.*

PROPHETIAE. Geneſ. 3. 14. 15. *Et ait Dominus Deus ad ſerpentem: quia feciſti hæc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.*

Pſalm.

Psalm. 73. 14. *Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum.* Psalm. 90. 13 *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Zach. 3. 1. *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini: & satan stabat à dextris eius. vt aduersaretur ei.*

VERITAS. Matth. 4. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: scriptum est, non in solo pane viuit homo; sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim: quia angelus suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus. Rursum scriptum est: non tentabis Dominum Deum tuum, Iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: vade satana, scriptum est enim. Dominum Deum tuum adorabis & ipsi soli seruies. Tunc reliquit eum Diabolus: & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Marc. 1. 12. 13. *Et statim spiritus expulit eum in desertum. Et erat in deserto*

ferto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana, eratq; cum bestijs, & angeli ministrabant illi. Luc. 4. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane: & agebatur à spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à Diabolo. Et nihil manducauit in diebus illis, & consummatis illis esurijt. Dixit autem illi Diabolus: si filius Dei es, dic lapidi huic, vt panis fiat. Et respondit ad illum Iesus, scriptum est: quia non in solo pane viuit homo, sed in in omni verbo Dei. Et duxit illum Diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, & ait illi: tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua omnia, Et respondens Iesus dixit illi: scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies. Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum; scriptum est enim quòd angelis suis mandauit de te, vt conseruent te: & quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Et respondens Iesus, ait illi, dictum est: non tentabis Dominum Deum tuum. Et consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo, vsq; ad tempus. Et egressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exijt per vniuersam regionem de illo.*

* * *

CAPVT

CAPVT IV.

Christus prædicat pœnitentibus regnum cœlorum.

FIGVRA. Ea maximè in terra Nepthali. Genes. 49. 21. *Nepthali seruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.*

PROPHETIAE. Psal. 24. 8. 9. 10. *Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas suas. Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, requirentibus testamentum eius, & testimonia eius.* Prouerb. 1. 20. 21. 22. 23. 44. vt superius capit. 5. Isai. 9. 1. 2. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nepthali, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Ibid. capit. 30. 20. 21. *Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem, & non faciet auolare à te vltrà doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neq; ad dexteram, neq; ad sinistram.* Cap. 40. 9. 10. 11. *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocẽ tuam, qui euangelizas Ierusalem, exalta noli timere, dic ciuitatibus Iuda, ecce Deus vester: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio*

suo

suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Capit. 49. 6. *Et dixit, parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas : ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ.* Vide etiam versum 1. 2. 3. vt lib. 2. capit. 1. fol. 71. Capit. 52. 6. 7. 8. 9. 10. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa : quia ego ipse qui loquebar ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem : annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis, Sion regnabit Deus tuus : vox speculatorum tuorum, leuauerunt vocem, simul laudabunt : quia oculo ad oculum videbunt cum conuerterit Dominus Sion. Gaudete & laudate simul deserta Ierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem, parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium : & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Cap. 61. 1. 2. 3. 4. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me; ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro : vt consolarer omnes lugentes : vt ponerem lugentibus Sion & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris : & vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. Et ædificabunt deserta à sæculo, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt ciuitates deser-*

desertas, dissipatas in generationem & generationem. Ezech. 18. 30. 31. 32. Idcirco vnumquemq; iuxta vias suas iudicabo, domus Israël ait Dominus Deus, conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite. Ion. 3. 3. 4. 5. Et surrexit Ionas & abijt in Niniuen iuxta verbum Domini: & Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum. Et cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius: & clamauit, & dixit: adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsq; ad minorem. Nahum. 1. 15. Ecce super montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem: celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adijciet vltrà vt pertranseat in te Belial, vniuersus interijt.

VERITAS. Matth. 4. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Cùm autem audisset Iesus quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritima in finibus Zabulon, & Nepthali, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam: terra Zabulon & terra Nepthali, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium: populus qui sedebat in tenebris

bris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere, pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Ibidem capit. 5. l. 2. 3. *Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Et aperiens os suum docebat eos, dicens: beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* &c. Marc. l. 14. 15. *Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam prædicans euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini, & credite euangelio.* Vide etiam capit. 4. 14. 15. 16. 17 18. 19. 20. 21. 22. Luc. 6. 19. 20. *Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* & cæt. Ioan. 4. 44. 45. *Ipse enim Iesus testimonium perhibuit: quia propheta in sua patria honorem non habet. Cùm ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia vidissent quæ fecerat Ierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum.* Rom. 10. *Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Sicut sciptum est: quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.*

* * *

CAPVT

CAPVT V.

De vocatione primorum quinq; discipulorum.

PROPHETIAE. Psalm. 24. 21. *Innocentes & recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.* Prou. 1. 20. 21. 22. 23. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua, dicens: vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam? conuertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea.*

VERITAS. Ioan. 1. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42 43 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. *Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. Et respiciens Iesum ambulantem, dicit: ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis, quid quæritis? qui dixerũt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum magister) vbi habitas? dicit eis: venite, & videte. Venerunt & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: inuenimus Messiam (quod est interpretatum Christus) & adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit: tu es Simon*

filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. In craſtinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Ieſus: ſequere me. Erat autem Philippus à Bethſaida, ciuitate Andreæ, & Petri. Inuenit Philippus Nathanaël, & dicit ei: quem ſcripſit Moyſes in lege, & prophe-ta, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. Et dixit ei Nathanaël: à Nazareth poteſt aliquid bo-ni eſſe? dicit ei Philippus: veni, & vide. Vidit Ie-ſus Nathanaël venientem ad ſe, & dicit de eo: ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. Dicit ei Na-thanaël; vnde me noſti? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub fi-cu, vidi te. Reſpondit ei Nathanaël, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Iſraël. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis: maius his videbis. Et dicit ei: amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis.

CAPVT VI.

De vocatione aliorum pauperum, & idiotarum ad apoſtolatum, & per piſcationem.

FIGVRAE. 1. Eliſeus vocatus ab Elia q[ui] miſit pallium ſuum ſuper eum, relictis b[o]-bus, facto prius conuiuio, ſecutus eſt Eliam. Reg. 19. 19. 20. 21.

2. Tempore famis habitabant filij prop[he]-tarum coram Eliſeo. 4. Reg. 4. 38. *Et Eliſeus re-uerſus eſt in Galgala. Erat autem fames in terra, & filij prophetarum habitabant coram eo, dixit*

uni de pueris suis : pone ollam grandem, & coque pulmentum filijs prophetarum.

3. Locus in quo habitant filij prophetarum cũ Eliseo angustus, dilatandus est. 4. Reg. 6. 1. 2. 3.

4. Hi sunt duodecim patriarchæ qui benedicuntur à Iacob. Gen. 49. Actor. 7. 8. Duodecim prophetæ. Eccl. 49. 12. & duodecim lapides siue gemmæ in rationali summi sacerdotis. Exod. 28. 21. ~~1. 9. 10. 11. 12. 13. 14.~~ fontes aquarum duodecim in Helim. Exod. 15. 21. Duodecim lapides durissimi Iordanis. Ios. 4. 2. 3. 4. 5. 8. 9. Duodecim leunculi in gradibus quibus ascendunt in thronum Salomonis. 3. Reg. 10. 20. Duodecim lapides quibus extruitur altare. 3. Reg. 18. 31. Duodecim fundamenta nouæ Ierusalem. Apoc. 21. 14. Duodecim portæ & margaritæ eiusdem ciuitatis. Ibidem vers. 12. & 21.

PROPHETIAE. Psalm. 67. 12. 13. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa: rex virtutum dilecti, dilecti, & speciei domus diuidere spolia.* Vers. 27. 28. 29. *In ecclesijs benedicite Deo Domino, de fontibus Israël. Ibi Beniamin adolescentulus, in mentis excessu. Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, principes Nepthali. Manda Deus virtuti tuæ : confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Psalm. 7. 13. 14. *Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet : Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum : & honorabile nomen eorum coram illo.* Psalm. 138. 17. 18. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui*

Deus; nimis confortatus est principatus eorum. Dū numerabo eos & super arenam multiplicabuntur, exsurrexi & adhuc sum tecum. Isai. 8. 18. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signū, & portentum Israël à Domino exercituū, qui habitat in mōte Sion.* Ibid. cap. 14. 30. vbi primogeniti pauperum sunt apostoli. Cap. 26. 5. 6. 7. 8. *Quia incuruabit habitantes in excelso ciuitatem sublimē humiliabit. Humiliabit eam vsq; ad terrā, detrahet eā vsq; ad puluerē. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorū. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum. Et in semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te: nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ.* Ier. 16. 16. *Ecce ego mittā piscatores multos dicit Dominus, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Baruch. 3. 34. 35. 36. 37. 38. *Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Ezech. 47. 7. 8. 9. 10. 11. *Et ait ad me: aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos Sabuli orientalis, & descendūt ad plana deserti, intrabūt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ. Et omnis anima viuēs, quæ serpit quocunq; venerit torrēs, viuet: & erūt pisces multi satis, postquā venerit illuc*

illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & viuent omnia, ad quæ venerit torrens. Et stabūt super illas piscatores ab Engaddi vsq; ad Engaddim, siccatio sagenarū erit, plurimæ species erunt pisci ūeius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ: in littoribus autem eius, & in palustribus, non sanabuntur, quia in salinas dabūtur.

VERITAS. Matth. 4. 18. 19. 20. 21. 22. *Ambulans autē Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittētes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: venite post me, & faciā vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobū Zebedæi, & Ioannem fratrē eius in naui cum Zebedæo patre eorū, reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus, & patre, secuti sunt eum.* Ibid. cap. 9. 10. 11. 12. 13. *Et factum est, discumbēte eo in domo: ecce multi publicani, & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu, & discipulis eius: & videntes pharisæi, dicebant discipulis eius. Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? At Iesus audiens, ait: non est opus valentibus medicus: sed malè habentibus. Euntes autem discite, quid est, misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Cap. 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Marc. 1. 16. 17. 18. 19. 20. *Et prætereiens secus mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare (erant enim piscatores) Et*

dixit eis Iesus: venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, vidit Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius, & ipsos componentes retia in naui: & statim vocauit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenarijs, secuti sunt eum. Ibidem capit. 2. 14. 15. 16. 17. Et cùm præteriret, vidit Leui Alphæi sedentem ad telonium, & ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum. Et factum est dum accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu, & discipulis eius: erant enim multi, qui & sequebantur eum. Et scribæ & pharisæi videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis eius: quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister vester? Hoc audito, Iesus ait illis. Non necesse habent sani medico, sed qui male habent: non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Luc. 5. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Factum est autem cùm turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de naicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudi-

nem

nem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur. Quod cùm vidisset Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: exi à me quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. Similiter autem Iacobum, & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: noli timere, ex hoc iam eris homines capiens. Vers. 27. 28. 29. Et post hæc exijt, & vidit publicanum nomine Leui, sedentem ad telonium, & ait illi: sequere me. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum, & fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes. 1. Corint. 1. vers. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: ijs autem qui saluì fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo: vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis atq;

Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Iac. 2. 5. *Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni Dei, quod repromisit diligentibus se?*

CAPVT VII.

Christum audiunt & sequuntur turbæ innumeræ.

PROPHETIAE. Psal. 71. 16. *Et erit firmamentum in terra, & in summis montium: superextolletur super Libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.* Cant. 1. 2. 3. *Fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te.* Isai. 2. 2. 3. 4. 5. vt supra fol. 155. Mich. 4. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. vt fol. 16. 112. 146.

VERITAS. Matth. 4. 25. *Et secutæ sunt eum turbæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.* Ibidem, cap.

capit. 5. 1. *Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.* Capit. 8. 9. *Cùm autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, ita vt in naiculam ascendens, sederet, & omnis turba stabat in littore.* Marc. 1. 33. *Et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam.* Vers. 36. 37. *Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cùm inuenissent eum dixerunt ei: quia omnes quærunt te.* Ibidem cap. 3. 7. 8. 9. 10. *Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare, & multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. Et dixit discipulis suis, vt nauicula sibi deseruiret propter turbam, ne comprimerent eum: multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent quotquot habebant plagas.* Cap. 4. 1. *Et iterum cœpit docere ad mare; & congregata est ad eum turba multa: ita vt nauim ascendens, sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat.* Luc. 4. 42. 43. *Facta autem die egressus, ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vsq; ad ipsum, & detinebant illum ne discederet ab eis. Quibus ille ait: quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnũ Dei: quia ideo missus sum.* Ibid. cap. 6. 17. 18. 19. *Et descendẽs cum illis stetit in loco campestri, & turba discipulorũ eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerãt vt audirẽt eũ, &*

sanarentur

sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Capit. 8. 1. 2. 3. 4. Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates, & castella, prædicans, & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalena, de qua septem dæmonia exierãt, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabãt ei de facultatibus suis. Cùm autem turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem. &c. Cap. 9. 11. Quod cùm cognouissent turbæ, secutæ sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos qui cura indigebant, sanabat. Ioan. 3. 26. 27. 28. 29. 30. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Respondit Iohannes, & dixit: non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo. Ipsi vos testimonium perhibetis quod dixerim: non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est: illum autem oportet crescere me autem minui. Ibidem cap. 6. 1. 2. Post hæc abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa

signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Capit. 7. 41. *Alij dicebant, hic est Christus. Quidam autem dicebant, nunquid à Galilæa venit Christus.* Vers. 49. *Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.* Capit. 8. 1. 2. *Iesus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos.* Capit. 10. 40. 41. 42. *Et abijt iterum trans Iordanem, in eum locum, vbi erat Ioannes baptizãs primùm: & mansit illic, & multi venerunt ad eum & dicebant: quia Ioannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæ dixit Ioannes de hoc, vera erant, & multi crediderunt in eum.* Capit. 12. 9. *Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic est, & venerunt non propter Iesum tantùm, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis.* Vers. 12. 13. *In crastinum autem turba multa quæ venerat ad diem festum, cùm audissent, quia venit Iesus Ierosolymam: acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israël.*

CAPVT VIII.

Christus cum hominibus benignè & suauiter conuersatur.

FIGVRAE. In Moyse mitissimo. Num. 12. 3. *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* In Dauide 2. Reg. 16. 10. 11. *Et ait rex, quid mihi & vobis est filij Saruiæ? dimittite eum* (Semei scilicet) *vt maledicat*

dicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid, & quis est qui audiat dicere, quare sic fecerit? Et ait rex Abisai, & vniuersis seruis suis, ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam: quanto magis nunc filius Iemini? dimitte eum vt maledicat iuxta præceptum Domini.

PROPHETIAE. Psalm. 44. 3. *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.* Vers. 5. *Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede & regna. Propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.* Psal. 138. 1. *Domine probasti me; & cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* Sap. 8. 16. *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa:* (sapientia scilicet) *non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Isai. 42. 1. 2. 3. 4. vt fol. 70.

VERITAS. Matt. 9. 12. 13. *Quare cũ publicanis & peccatoribus mãducat magister vester? At Iesus audiẽs, ait: non est opus valẽtibus medicus, sed malè habentibus. Euntes autem discite quid est; misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Ibid. cap. 11. 28. 29. 30. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Marc. 2. 17. *Hoc audito Iesus ait illis, non necesse ha-*

bent

bent sani medico. sed qui malè habent: non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Luc. 4. 21. 22. *Cœpit autem dicere ad illos: quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant, nonne hic est filius Ioseph?* Ibid. cap. 5. 31. 32. *Et respondens Iesus, dixit ad illos, non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Cap. 9. 52. 53. 54. 55. 56. *Et misit nuncios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. Cùm vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ignis descendat de cælo & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere sed saluare.*

CAPVT IX.

Idem peccatores recipit benignè.

FIGVRAE. 1. Congregantur ad Iephte viri inopes latrocinantes; Iudic. 11. 3. *Quos ille fugiens atq; deuitans, habitauit in terra Tob: congregatiq; sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quasi principem sequebantur.*

2. Ad Dauid conueniunt fratres sui, & alij in angustia constituti, oppressi ære alieno, & amaro animo. 1. Reg. 22. 1. 2.

PROPHETIAE. Isai. 35. 1. 2. 3. 4. vt supra fol. 207. Ibidem capit. 50. 4. *Dominus dedit mihi*

mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum. Capit. 61. 1. 2. 3. vt suprà fol. 224. Ezech. 34. 11. 12. vt fol. 171. Osee. 6. 6. *Quia misericordiam volui, & non sacrificium: & scientiam Dei plus quam holocausta.* Mich. 4. 5. 6. 7. *Quia omnes populi ambulabunt, vnusquisq; in nomine Dei sui: nos autē ambulabimus in nomine Domini nostri in aternum, & vltrà. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantē: & eam quā eieceram, colligam: & quam afflixeram. Et ponā claudicantem in reliquias, & eam, quæ laborauerat in gentem robustam: & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsq; in aternum.* Soph. 3. 19. 20. vt fol. 182.

VERITAS. Matth. 9. 13. vt præcedenti capit. Capit. 11. 18. 19. *Venit enim Ioannes neq; manducans, neq; bibens, & dicunt: dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filijs suis.* Luc. 7. 33. 34. 35. vt sequenti capite decimo. Capit. 15. 1. 2. *Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & scribæ, dicentes: quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Vers. 20. 21. 22. 23. 24. *Et surgens (filius prodigus) venit ad patrem suum. Cùm autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus*

est eum : dixit q3 ei filius ; pater peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos : citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius : & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur : quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Vers. 31. 32. At ipse dixit illi, fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt : epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Capit. 19. 5. 6. De Zachæo vt sequenti cap. 10. 1. Timoth. 1. 12. 13. 14. 15. 16. Gratias ago ei, qui me confortauit in Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio : qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia Domini nostri cum fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu. Fidelis sermo, & omni exceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. Tit. 2. 11. 12. 13. 14. 15. Apparuit enim gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ; vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo, exspectan-

tes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi : qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, exhortare, & argue cum omni imperio : nemo te contemnat. Ibidem. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Cùm autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos : sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum : vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. Fidelis sermo est, & de his volote confirmare: vt curent bonis operibus præesse qui credunt Deo.*

CAPVT X.

Pauperes, & miseros pœnitentes protegit à calumnijs malevolorum.

FIGVRA. Dauid liberat oues ex faucibus leonum & vrsorum. 1. Reg. 17. 34. 35. 36. *Dixitq; Dauid ad Saul: pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum : & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos. Nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus : erit igitur & Philistæus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi : quoniam qui*

quis est iste Philisthaus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis?

PROPHETIAE. Psalm. 71. 2. 3. 4. *Deus iudicium tuum regi da; & iustitiam tuam filio regis: iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem* Vers. 12. 13. 14. *Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem cui non erit adiutor. Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum saluas faciet. Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.* Isai. 11. 2. 3. 4. vt fol. 69.

VERITAS. Matth. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu & discipulis eius: & videntes pharisæi dicebãt discipulis eius. Quare cum publicanis & peccatoribus mãducat magister vester? At Iesus audiẽs, ait: non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Euntes autem discite quid est, misericordiã volo, & non sacrificium: non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis dicentes: quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Iesus: nunquid possunt filij sponsi lugere, quam diu cũ illis est sponsus? venient autẽ dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tũc ieiunabũt. Nemo autẽ mittit cõmissurã panni rudis in vestimentũ vetus: tollit enim ple-*

nitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit. Neq; mittũt vinũ nouũ in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt: sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conseruantur. Ibidem cap. 12. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. In illo tempore abijt Iesus per sata sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare; pharisæi autem videntes dixerunt ei: ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis. At ille dixit eis: non legistis quid fecerit Dauid, quando esurijt, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neq; his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis quia templo maior est hic: si autem scireti quid est: misericordiam volo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Capit. 15. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis scribæ, & pharisæi, dicentes: quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus cùm panem manducant. Ipse autem respondens ait illis: quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. nam Deus dixit: honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: quicunq; dixerit patri, vel matri, munus quodcunq; est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: &

tum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Hypocritæ benè prophetauit de vobis Iſaias, dicens: populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Similia Marc. 2. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. quærantur fol. 232. Et conueniunt cum illis quæ ex Matthæi capite 9. poſita ſunt. Verſ. 23. 24. 25. 26. Cum his quæ ex capit. 12. Matth. citata, & ex capite 7. Marc. verſ. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. quæ ex capite 15. Matt. citata. fol. 244. Luc. 5. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. *Et fecit ei* (ſcilicet Chriſto) *conuiuium magnum Leui in domo ſua.* Reliqua conueniunt cum Matth. 9. vt ſupra. Idem. D. Lucas capit. 6. 1. 2. 3. 4. 5. *Factum eſt autem in ſabbato ſecundo, primo, cum tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli eius ſpicas.* &c. vt ex capite Matth. 12. fol. 244. Cap. 7. 36. 37. 38. 59. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. *Rogabat autem illum quidam de phariſæis vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum phariſei diſcubuit. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod accubuiſſet in domo phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti: & ſtans retro ſecus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem phariſæus qui vocauerat eum, ait intra ſe dicens: hic ſi eſſet propheta ſciret vtiq; quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. Et reſpondens Ieſus, dixit ad illum;*

lum; Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donauit utrisq; Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit: æstimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: vides hanc mulierem? Intrauit in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se: quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: fides tua te saluam fecit, vade in pace. Capit. 19. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Et ingressus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat publicanorum, & ipse dives; & quærebat videre Iesum, quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum, quia inde erat transiturus. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descend

descendit, & excepit illum gaudens. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zacheus dixit ad Dominum: ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eũ: quia hodie salus domui huic facta est, eo quòd & ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

CAPVT XI.

Christus reputat sibi fieri quod Christianis fit.

FIGVRAE. 1. Murmur contra Moysen est murmur contra Dominum. Exod. 16. 6. 7. *Dixeruntq; Moyses & Aaron ad omnes filios Israël: vesperi scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti: & manè videbitis gloriam Domini: audiuit enim murmur vestrum contra Dominum: nos verò quid sumus, quia murmuratis contra nos?*

2. Deus se abiectum dicit cùm abiecerunt filij Israël Samuëlem. 1. Reg. 8. 6. 7. 8. *Displicuit sermo in oculis Samuëlis, eo quòd dixissent: da nobis regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuël ad Dominum. Dixit autem Dominus ad Samuëlem. Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi; non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Ægypto vsq; ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt dijs alienis, sic faciunt etiam tibi.*

PRO-

PROPHETIAE. Prouer. 14. 31. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum, qui miseretur pauperis.* Ibidem capit. 17. 5. *Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius: qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Zachar. 2. 8. 9. *Quia hæc dicit Dominus exercituum: post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos; qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei: quia ecce ego leuo manum super eos, & erunt prædæ his, qui seruiebant sibi; & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.*

VERITAS. Matth 10. 41. 42. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et qui potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine meo, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Ibidem capit. 18. 5. 6. *Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit: qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Capit. 25. 35. 36. *Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurij enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, nudus, & cooperuistis me, infirmus, & visitastis me, in carcere eram, & venistis ad me.* Vers. 40. 41. 42. 43. *Et respondens rex, dicet illis: amen dico vobis*

vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & his qui a ſiniſtris erunt: diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius; eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui, & non dediſtis mihi potum, hoſpes eram, & non collegiſtis me, nudus, & non cooperuiſtis me, infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Verſ. 45. Tunc reſpondebit illis dicens: amen dico vobis, quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Marc. 9. 40. 41. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Et quisquis ſcandalizauerit vnum ex his puſillis credentibus in me, bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria collo eius, & in mare mitteretur. Luc. 10. 15. 16. Et tu Capharnaum vſq; ad cælum exaltata, vſq; ad infernum demergeris. Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. Ioan. 13. 20. Amen, amen dico vobis; qui accipit ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui miſit me. Actor. 9. 4. 5. 6. Et cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit: quis es Domine? Et ille; ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens, ac ſtupens, dixit: Domine quid me vis facere? 1. Theſ. 4. 8. Itaq; qui hæc ſpernit non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.

CAPVT XII.

Christus Dominus docuit in parabolis.

FIGVRAE. 1. Balac vaticinatus de Christo assumpsit parabolas. Num. 23. 7. 8. 9. 10. †24. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.

2. Sapientissimus Salomon locutus tria millia parabolarum. 3. Reg. 4. 32. 33. 34. *Locutus est quoq; Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina eius quinq; & mille. Et disputauit super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsq; ad hyssopũ, quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab vniuersis regibus terræ, qui audierant sapientiam eius.*

3. Et patiens Iob in parabolis locutus. Iob. 27. 1. 2. †29. 1. 2.

4. Ezechiel iubetur loqui in parabolis. Ezech. 24. 3. 4. 5.

PROPHETIAE. Psal. 48. 5. *Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.* Psalm. 77. 2. 3. *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Quæcunque audiuimus & cognouimus ea: & patres nostri narrauerunt nobis.* Prou. 1. 1. 2. 3. 4. 5. *Parabolæ Salomonis filij Dauid, regis Israël, ad sciendam sapientiam & disciplinam: ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ, iustitiam, & iudicium, & æquitatem; vt detur paruulis astutia, adolescen-*

adolescenti scientia & intellectus. Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens gubernacula possidebit. Ibid. cap. 25. 1. 2. Hæ quoq; parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Iuda. Gloria Dei est celare verbum, & gloria regum inuestigare sermonem. Eccl. 12. 9. Cumq; esset sapientissimus Ecclesiastes docuit populum, & enarrauit quæ fecerat: & inuestigans composuit parabolas multas. Eccles. 39. 1. 2. 3. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit. Occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur.

VERITAS. Matt. 13. 1. 2. 3. In illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore. Et locutus est eis multa in parabola dicens: ecce, exijt qui seminat seminare, &c. Vers 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Et ascendentes discipuli dixerunt ei: quare in parabolis loqueris eis? Qui respondẽs, ait illis: quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, iis autẽ non datum. Qui enim habet dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audiẽtes non audiũt, neq; intelligũt. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicẽtis: auditu audietis, & nõ intelligetis, & videntes videbitis & non videbitis. Incrassatũ est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierũt, & oculos suos clauserũt, ne quando videãt oculis,

& au-

& auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos: vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt, Vos ergo audite parabolam seminantis. Vers. 24. Aliam parabolam proposuit illis dicens. Simile factum est regnum cælorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. Vers. 30. 31. 32. 33. 34. 35. Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem, congregate in horreum meum. Aliam parabolam proposuit eis dicens, Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus: cùm autem creuit maius est omnibus oleribus. Et fit arbor; ita vt volucres cæli veniãt, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis; vt impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. His similia habes Marci. 4. 1. 2. 10. 11. 12. 13. 33. 34. Luc. 8. 4. 5. 9. 10. 11. Ibidem capit. 21. 45. 46. Et cùm audissent principes sacerdotum & pharisæi parabolam eius,

eius, cognouerunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant. Marc. 3. 23. *Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis: quomodo potest Satanas Satanam eijcere?* &c. Ibid. cap. 12. 1. *Et cœpit illis in parabolis loqui. Vineã pastinauit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.*

CAPVT XIII.

Christus Dominus magnis miraculis doctrinam suam confirmauit.

FIGVRAE. Moyses eductus filios Israël ex Aegypto claruit magnis miraculis. Deut. 34. 11. 12. *In omnibus signis atq; portentis, quæ misit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaõni, & omnibus seruis eius, vniuersæq; terræ illius, & cunctam manum robustam, magnaq; mirabilia, quæ fecit Moyses coram vniuerso Israël.* Similia Deut. 4. 32. 33. 34. † 17. 19. † 26. 6. 7. 8. † 29. 2. 3. De quibus Exod. 4. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Et capitibus totis 7. 8. 9. 10. 12. 14.

PROPHETIAE. Psalm. 4. 4. *Et scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cùm clamauero ad eum.* Psalm. 77. 11. 12. *Et obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos.* Vers. 43. *Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.* Psalm.

104. 27. *Posuit in eis verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham.* Psal. 134. 9. *Et misit signa, & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem, & in omnes seruos eius.* Iai. 35. 4. 5. 6. vt fol. 9.

VERITAS. Matt. 11. 4. 5. 6. *Et respondens Iesus, ait illis: euntes renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* Ibid. cap. 21. 15. *Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid, indignati sunt.* Marc. 16. 17. 18. 19. 20 *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo dæmonia eicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quidbiberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Luc. 5. 26. *Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicētes: quia vidimus mirabilia hodie.* Ioan. 2. 11. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi.* Vers. 18. 19. 20. *Zelus domus tuæ comedit me. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis: solue*

uite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerũt ergo Iudæi: quadraginta & sex annis ædificatũ est templũ hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ibid. cap. 3. 2. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis nisi fuerit Deus cum eo. Cap. 4. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. Dixit ergo Iesus ad eum: nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: vade, filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurerrunt ei, & nunciauerunt, dicentes: quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit, & dixerunt ei: quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus, filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cùm venisset à Iudæa in Galilæam. Capit. 5. 36. 37. 38. Ego autem habeo testimonium maius Ioanne: opera enim, quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea: ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: & qui misit me Pater, ipse testimoniũ perhibuit de me: neq; vocem eius vnquam audistis, neq; speciẽ eius vidistis, & verbum eius nõ habetis in vobis manẽs; quia quẽ misit ille, huic vos non creditis. Capit. 6. 1. 2. Post hæc abiit Iesus trãs mare Galilææ, quod est Tyberiadis: & sequebatur eũ multitudo magna,

quia

quia videbant signa, quæ faciebat super his, quiin firmabantur. Vers. 13. 14. Collegerunt ergo, & impleuerũt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducauerant. Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum. Vers. 26. Respondit eis Iesus, & dixit: amen, amen dico vobis: quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis. Vers. 30. 31. 32. 33. 34. 35. Dixerunt ergo ei: quid ergo tu facis signum vt videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: panem de cælo dedit eis manducare. Dixit ergo eis Iesus: amen amen dico vobis: non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Iesus: ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Capit. 7. 31. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm hic facit? Capit. 9. 16. Dicebant ergo ex pharisæis quidam: non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit; alij autem dicebant: quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et scisma erat inter eos. Capit. 11. 47. 48. Collegerunt ergo pharisæi & pontifices concilium, & dicebant

dicebant: quid faciemus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Capit. 12. 18. Propterea & obuiam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum. Vers. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non ejcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Capit. 20. 30. 31. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Christus Filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Heb. 2. 4. Contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus: & spiritus sancti distributionibus secundùm suam voluntatem. Non semper tamen fecit miracula cùm petita fuerunt. Matth 12. 38. 39. Tunc responderunt ei quidam de scribis & pharisæis dicentes: magister, volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis. Generatio mala, & adultera si-

gnum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Ibid. capit. 16 1. 2. 3. 4. *Et accesserunt ad eum pharisæi & sadducæi tentantes: & rogauerunt eum vt signum de cælo ostenderet eis. At ille respondens, ait illis: facto vespere dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cælum. Et manè, hodie tempestas, rutilat enim triste cælum. Faciem ergo cæli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire: generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Et relictis illis abijt.* Simile Marc. 8. 11. 12. Luc. 11. 16. 29. 30. Ibidem. capit. 23. 8. 9. 10. 11. *Herodes autem viso Iesu gauisus est valdè, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum: spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.* Porrò miracula quæ fecit Iesus apud quatuor Euangelistas, vide in singulis singulorum locis thesauri nostri biblici, & de his etiam Sperrius lib. 1. capit. 5. capit. 16. & 17.

CAPVT XIIII.

Christus in monte Thabor transfiguratur.

FIGVRAE. Moysis facies cornuta fuit claritate, vt in eam non intenderent filij Israel. Exod. 34. 28. 29. 30. 31. 32. 33. vt fol. 109. 2. Col. 3. 1.

3.13. *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israël in faciem eius, quod euacuatur.*

PROPHETIAE. Psalm. 67. 16. 17. *Mons Dei, mõs pinguis: Mons coagulatus, mons pinguis; vt quid suspicamini mõtes coagulatos? Mons, in quo beneplacitũ est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.* Psal. 88. 13. *Aquilonem & mare tu creasti: Thabor & Hermõin nomine tuo exultabunt.*

VERITAS. Matth. 17. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Et post dies sex assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut sol; vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum: Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suã, & timuerunt valdè. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitq; eis: surgite & nolite timere. Leuantes autem oculos suos neminem viderunt nisi solum Iesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus, dicens: nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat. Et interrogauerunt eum discipuli, dicentes: quid ergo scribæ dicunt, quod Eliã*

oporteat primum venire ? Similia. Marc. 9. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Et Luc. 9. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36.

CAPVT XV.

Christus labore itinerum, & inopia rerum, & multitudine insidiarum exercetur.

FIGVRAE. Maledicta fuit terra in opere primi parentis Adæ, vt in laboribus de ea comederit multis diebus vitæ suæ. Genes. 3. 17. quæ in laboribus Christi rursus benedici debuit.

2. Iacob in summis laboribus seruiuit Laban. Genes. 31. 37. 38. 39. 40. 41. 42.

3. Darius rex ad occasum solis laborat, vt eruat Danielem à morte. Dan. 6. 14. Sic Christus ad suam vsq; mortem pro nobis.

4. Ieremias laborauit in gemitu suo, & requiem non inuenit. Ierem. 45. 3.

PROPHETIAE. Psalm. 3. 2. 3. Domine *quid multiplicati sunt qui tribulant me ? multi insurgunt aduersum me. Multi dicunt animae meae non est salus ipsi in Deo eius.* Psalm. 6. 7. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum : lachrymis meis stratum meum rigabo.* Psalm. 9. 14. 15. *Miserere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis qui exaltas me de portis mortis, vt annunciē omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Psalm. 24. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *Respice in me, & miserere mei, quia vnicus & pauper*

pauper sum ego. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt. : de necessitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam, & laborem meum : & dimitte vniuersa delicta mea. Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me. Custodi animam meam, & erue me; non erubescam, quoniam speraui in te. Innocentes, & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te. Libera Deus Israël ex omnibus tribulationibus suis. Psam. 39. 10. 11. *Annunciaui iustitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo : Domine tu scisti. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam & salutare tuum dixi.* Psalm. 70. 19. 20. 21. *Potentiam tuam, & iustitiam tuam Deus vsq; in altissima, quæ fecisti magnalia; Deus quis similis tibi? Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas : & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me. Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me.* Psalm. 87. 16. *Pauper sum ego & in laboribus à iuuentute mea : exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus.* Isai. 43. 23. 24 25. *Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me : non te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Non emisti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

VERITAS. Matth. 4. 23. 24. vt folio 231. Ibidem capit. 8. 16. 17. 18. 19. 20. Ve. *ſpere autem facto, obtulerunt ei multos demonia habentes, & eijciebat ſpiritus verbo, & omnes male habentes curauit, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: ipſe infirmitates noſtras accepit, & egrotationes noſtras portauit. Videns autem Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum. Et accedens vnus ſcriba, ait illi: magiſter, ſequar te, quacunq; ieris. Et dicit ei Ieſus: vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Capit. 9. 35. 36. 37. 38. *Et circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans euangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem: videns autem turbas miſertus eſt eis, quia erant vexati, & iacentes ſicut oues paſtorem non habentes. Tunc dicit diſcipulis ſuis: meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.* Luc. 4. 29. 30. *Et ſurrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vſq; ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas illorum eſt ædificata, vt præcipitarent illum. Ipſe autē tranſiens per medium illorū ibat.* Ioan. 6. *Erat autem ibi fons Iacob, Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Ibidem capit. 8. 59. *Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum: Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templum.*

plo. Capit. 19. 28. 29. *Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit: sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.*

* * *

LIBER QVINTVS.

CHRISTVS IESVS PATIENS.

CAPVT PRIMVM.

MARIA MAGDALENA VNGIT pedes & caput Christi,

FIGVRAE. Exod. 23. 15. *Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi tempore messis mensis novarum, quando egressus es de Ægypto.* Deut. 33. 2. 3. *Et ait: Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharam, & cum eo sanctorum millia. In dextera eius ignea lex. Diligens populos, omnes sancti in manu illius sunt: & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*

PROPHTIAE. Psalm. 44. 8. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Psalm. 125. 5. *Qui seminant in lachrymis in exultatione metent.* Cant. 3. 1. 2. 3. *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum & non*

& non inueni. Surgam & circumibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: num quem diligit anima mea, vidistis? Ibidem capit. 4. 10. Quàm pulchra sunt mamma tuæ soror mea sponsa! pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Eccleci. 19. 28. Est correptio mendax in ira contumelioſi: & est iudicium quod non probatur esse bonum: & est tacens, & ipse est prudens. Isai. 27. 9. Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob: & iste omnis fructus vt auferatur peccatum eius, cùm posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci & delubra. Ierem. 31. 3. Longè Dominus apparuit mihi. Et in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans. Vers. 9. In fletu venient, & in misericordia reducam eos: & adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea; quia factus sum Israëli pater, & Ephraim primogenitus meus est. Vers. 16. Hæc dicit Dominus: quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrimis; quia est merces operi tuo, ait Dominus; & reuertentur de terra inimici. Vers. 19. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Ezech. 18. 30. 31. 32. Idcirco vnumquemq; iuxta vias suas iudicabo domus Israël, ait Dominus Deus. Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniqui-

tatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniqui-tas. Proijcite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum : & quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus : reuertimini, & viuite.

VERITAS. Matt. 26. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Cùm autem Iesus esset in Bethania, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: vt quid perditio hæc? potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Iesus, ait illis : quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habetis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicunq; prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecerit in memoriã eius.* Similia habet D. Marcus qui & addit quosdam fremuisse in Mariam Magdalenam. cap. 14. 4. 5. 6. 7. 8. 9 Luc. 7. 36 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. vt fol 245. Ioan. 12. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes*

sit pedes eius capillis suis : & domus impleta est ex odore unguenti. Dixit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus : quare hoc unguentum non venit trecentis denarijs, & datum est egenis ? Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur portabat. Dixit ergo Iesus : Sinite illam ut in diem sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper habetis vobiscum : me autem non semper habetis.

CAPVT II.

Iudæi consilium contra Christum ineunt vt illum occidant.

FIGVRAE. Fratres Ioſephi de morte eius agunt. Geneſ. 37. 17. 18. 19. 20. Simeon & Leui in furore ſuo occiderunt virum. Gen. cap. 49. 5. 6. 7. *Simeon & Leui fratres ; vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea : quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax : & indignatio eorum quia dura : diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſraël.*

PROPHETIAE. Pſal. 30. 14. *Factus ſum ſicut vas perditum : quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.* Pſal. 70. 10. *Quia dixerunt inimici mei mihi : & qui cuſtodiebãt animã meam conſilium fecerũt in vnũ.* Hier. 18. 22. 23. *Audiatur clamor de domibus eorum, adduces enim*

enim super eos latronem repentè : quia foderunt manus meas vt caperent me, & laqueos absconderunt pedibus meis. Tu autem Domine scis omne consilium eorum aduersum me in mortem : ne propitieris iniquitati eorum: & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

VERITAS. Matth. 26. 3. *Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent.* Marc. 14. 1. *Erat autem Pascha & Azyma post biduum, & quærebant summi sacerdotes & scribæ quomodo eum dolo tenerent, & occiderent.* Luc. 22. 1. 2. *Appropinquauit autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha: & quærebant principes sacerdotum & scribæ, quomodo Iesum interficerent, timuerunt verò plebem.* Ioan. 11. 47. 48. 49. 50. 51. 52. *Collegerunt ergo pontifices & pharisæi concilium, & dicebant: quid facimus quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis: vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente sed vt filios Dei, qui erant dispersi congrega-*

ret in vnum. Vers. 56. *Quærebant ergo Iesum, & loquebantur ad inuicem in templo stantes: quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices, & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit, vbi sit indicet, vt apprehendant eum.*

CAPVT III.

Ingressus Christi in Ierusalem in die palmarum.

FIGVRAE. 1. Agnus immolandus inducitur quinq; diebus ante Pascha. Exod. 12. 3. 4. 5. 6.

2. Axa filia Caleb data Othonieli in vxorem, sedens super asinam petit à patre terram irriguam, qui dat illi irriguum superius, & irriguum inferius. Ios. 15. 17. 18. 19.

3. Saul dum solicitè quærit deperditas asinas patris, vngitur in regem super filios Israel. 1. Reg. 9. 1. 2. 3.

4. Simon Machabæus eiectis de ciuitate Ierusalem immunditijs gentilium intrauit in eam cum hymnis benedicens Deum, in arcem verò cum ramis palmarum. 1. Mach. 13. 47. 48. 49. 50. 51. *Et flexus Simon non debellauit eos: eiecit tamen eos de ciuitate, & mundauit ædes, in quibus fuerant simulachra, & tunc intrauit eam cum hymnis benedicens Dominum: & eiecta ab ea omni immunditia, collocauit in ea viros, qui legem facerent, & muniuit eam, & fecit sibi habitationem. Qui autem erant in arce Ierusalem, prohibebantur egredi & ingredi regionem, & emere, ac vendere: & esurierunt valdè, & multi ex eis fame perierunt, &*

clamas-

clamauerunt ad Simonem vt dexteras acciperent & dedit illis, & eiecit eos inde, & mundauit arcem à contaminationibus, & intrauerunt in eam tertia & vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo cum laude, & ramis palmarum, & cinyris, & cymbalis, & nabilis, & hymnis & canticis, quia cõtritus est inimicus magnus ex Israël.

5. Dum aufertur sceptrum de Iuda, venit Messias. Genes 49. 10. 11. 12. vt fol. 66.

PROPHETIAE. 2. Esdr. 8. 15. *Et vt prædicent, & diuulgent vocem in vniuersis vrbibus suis, & in Ierusalem, dicentes. Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrthi, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, vt fiant tabernacula, sicut scriptum est.* Iob. 29. 18. *Dicebam: in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Psal. 8. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.* Psalm. 91. 13. *Iustus vt palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Psalm. 117. 25. 26. *O Domine saluum me fac, ô Domine benè prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini.* Hinc veniunt palmæ quæ sunt in manibus sanctorum. 4. Esdr. 2. 43. 44. 45. *Et in medio eorum erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur: ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogaui angelum, & dixi: qui sunt hi, Domine? Qui respondens dixit mihi:*

mihi: hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, & immortalem sumpserunt, & confessi sunt nomen Dei: modò coronantur, & accipiunt palmas. 2. Machab. 10. 7. Propter quod Thyrsos, & ramos viridis, & palmas præferebant ei, qui prosperauit mundari locum suum. Apoc. 7. 9. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronũ, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Cant. 7. 7. Statura tua assimulata est palmæ, & vbera tua botris. Isai. 40. 3. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Domini nostri. Vers. 9. 10. Super montẽ excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda, ecce Deus vester, ecce Dominus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Ibid. cap. 61. 1. 2. Vt prædicarẽ annum placabilem Domino, & diẽ vltionis Deo nostro: vt consolarer omnes lugentes. Capit. 62. 10. 11. Transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & eleuate signum ad populos: ecce Dominus auditum fecit in extremis terra. Dicite filiæ Sion: ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Zachar. 9. 9. 10. Exulta satis filia Sion, iubila filiæ Ierusalem, ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, &

super

super pullum filium asinæ. Et dispergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus: & potestas eius à mari vsq; ad mare, & à fluminibus vsq; ad fines terræ. Ibidem capit. 14. 4. *Et stabunt pedes eius in die illa super Montem oliuarum, qui est contra Ierusalē ad Orientem, & scindetur Mons oliuarū ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem præruptu grandi valdè, & separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem.*

VERITAS. Matth. 21. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Et cùm appropinquasset Ierosolymis, & venisset Bethphage ad Montem oliueti: tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis. Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea; solnite, & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem: dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via, alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: turbæ autē quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant, dicentes:*

Hosan-

Hosanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis. Et cùm intrasset Hierosolymam commota est vniuersa ciuitas dicens. Quis est hic? populi autem dicebant: Hic est Iesus propheta à Nazareth Galilææ. Et intrauit Iesus in templum Dei & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas euertit, & dicit eis. Scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Similia Marc. 11. 1, 2, 3. 4. 5. 6. 7 8. 9. 10. 11. Et Luc. 19. 29. 30. 31. 32. 33. 34 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. Sic Ioan. 12. 12. 13. 14. 15.

CAPVT IV.

Christus mittit duos de discipulis ad parandam cœnam, & valedicit matri.

FIGVRAE. 1. Rebecca occurrit cum hydria aquæ famulæ Abrahæ quærenti sponsam filio suo. Genes. 24. 41. 42. 43. 44. 45. 46.

2. Dum Saul quærit Samuelem occurrunt pueri haurientes aquam in ipso ciuitatis ingressu quem Samuel solenni adhibet cõuiuio, & sequenti die in Regem vngit. 1. Reg. 9. 11. 19. 20. 21. 22. 23. 24.

3. Valefaciente Tobia parentibus, flent parentes. Tob. 5. 22 23. 24. 25. 26. 27. 28. *Tunc paratis omnibus quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo, & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul. Cumq; profecti essent, cœpit mater eius*

flere & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis. Nunquam fuisset ista pecunia pro qua misisti eum: sufficiebat enim nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc quòd videbamus filium nostrum. Dixitq; ei Tobias. Noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum. Credo enim quòd angelus Dei bonus comitetur ei & benè disponat omnia, quæ circa eum geruntur; ita vt cum gaudio reuertatur ad nos, Ad hanc vocem cessauit mater eius flere & tacuit. Accomoda matri valedicenti Christo Domino.

VERITAS. Marc. 14. 12. 13. 14. 15. 16. *Et primo die Azymorum quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces Pascha? & mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis. Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum, & quocunq; introierit dicite domino domus, quia magister dicit, vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grãde stratum, & illic parate nobis. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt Pascha.* Similia Matth. 26. 17. 18. 19. Luc. 22. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Et misit Petrum & Ioannem dicens. Euntes parate nobis pascha vt manducemus. At illi dixerunt: vbi vis paremus? & dixit ad eos. Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vo-*

bis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister. Vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt pascha.

CAPVT V.

De vltima cœna quàm Christus cum discipulis sumpsit.

FIGVRAE. 1. Paratur mensa panum propositionis. Exod. 25. 23. *Facies & mensam de lignis setim habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac semissem.* Vers. 30. *Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.*

2. Miphiboseth comedit panem in mensa Dauidis semper. 2. Reg. 9. 6. 7. 8.

PROPHETIAE. Psal. 22. 5. 6. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum; & calix meus inebrians quàm præclarus est? & misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Psal. 127. 4. *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.* Prou. 9. 1. 2. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Isai. 46. 3. 4. *Vsq; ad senectam ego ipse, & vsq; ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram: ego portabo & saluabo.* Ibidem capit. 63. 8. 9. vt fol. 110.

Osee. 11. 3. 4. *Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachys meis: & nescierunt quod curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum: & declinaui ad eum vt vescerer.* Plura sequenti capite. Iustitiæ doctor, Christus Dominus scilicet, cùm venerit comedemus vescentes & saturabimur.. Ioël. 2. 26.

VERITAS. Matth. 26. 20. 21. *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis & edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrûm me traditurus est.* Marc. 14. 17. ff. *Vespere autem facto venit cum duodecim. Et discumbentibus eis, & manducantibus ait Iesus: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.* Luc. 22. 14. 15. 16. *Et cùm factum esset hora, discubuit, & duodecim apostoli cum eo, & ait illis. Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar; dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Ioan. 13. 1. *Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem; cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Plura capit. 8.

CAPVT VI.

Quomodo Christus inter cœnandum proditionem suam aperiat.

FIGVRAE. Iudas de Iosepho loquens, Gen. 37. 26. dixit fratribus suis. *Quid nobis prodest*

si occiderimus fratrem nostrum, & cœlauerimus sanguinem eius?

2. Iacob moriturus vocatis filijs prædicit futura. Genes. 49. 1. 2. 3.

3. Similiter Moyses vocatis Israëlitis, Deut. 33. 1. 2. dixit.

4. Achitophel admissus antea ad secretissima consilia Dauidis eum prodit Absaloni. 2. Reg. 15. 12. *Accersiuit quoq; Absalon Achitophel Gilonitem consiliarium Dauid, de ciuitate sua Gilo. Cumq; immolaret victimas, facta est coniuratio valida populusq; concurrens augebatur cum Absalon.* Datq; pessimum consilium. 2. Reg. 16. 21. 22. 23. *Et ait Achitophel ad Absalon. Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: vt cùm audierit omnis Israël quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. Tetenderunt ergo Absalon tabernaculum in solario, ingressusq; est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum Dauid, & cùm esset cum Absalon.* Qui laqueo se tandem suspendit 2. Reg. 17. 23. *Porrò Achitophel videns quòd non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitq; & abijt in domum suam, & in ciuitatem suam, & disposita domo sua suspendio interijt, & sepultus est in sepulchro patris sui.*

Prophetiae. Psalm. 54. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

15.16. *Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia. Et non defecit de plateis eius vsura, & dolus. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo vnanimis: dux meus, & notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu. Veniat mors super illos; & descendant in infernum viuentes: Quoniam nequitia in habitaculis eorum: in medio eorum.* Amos 2. 6. *Haec dicit Dominus, super tribus sceleribus Israël, & super quatuor non conuertam eum pro eo quod venumderit pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis.* Abd. 7. *Vsq; ad terminum emiserunt te omnes viri fœderis tui illuserunt tibi; inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ, qui comedunt tecum ponent insidias subter te, non est prudentia in eo.* Zach. 11. 12. *Et dixi ad eos. Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam: & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.*

VERITAS. Matt. 26. 21. 22. 23. 24. 25. *Et edentibus illis, dixit. Amen dico vobis: quia vnus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, coeperunt singuli dicere. Nunquid ego sum Domine? At ipse respondens, ait. Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat*

rat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit. Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi, tu dixisti. Similia Marc. 14. 18. 19. 20. 21. & Luc. 22. 21. 22.

CAPVT VII.

Christus lauit pedes discipulorum.

FIGVRAE. 1. Fratribus Ioseph inuitatis à Iosepho ad conuiuium lauantur pedes à famulis Ioseph. Genes. 43. 24. *Et introductis domum, attulit aquam, & lauerunt pedes suos, deditq; pabulum asinis eorum.* Apostolis verò ab ipso Christo lauantur pedes.

2. Moyses cùm congregasset omnem tribum ad fores tabernaculi, obtulit Aaron & filios eius, cùm eos prius lauisset. Leuit. 9. 4. vt mandatum fuit. Exod. 29. 4. 5. 6. *Et Aaron, ac filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij. Cumq; laueris patrem cum filijs suis aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est, linea & tunica, & superhumerali & rationali, quod constringes balteo,* &c.

3. Abigail vxor Nabal adscita in vxorem Dauid, agnoscit se pro famula, vt lauet pedes seruorum Domini sui. 1. Reg. 25. 40. 41. *Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes. Dauid misit nos ad te; vt accipiat te sibi in vxorem. Quæ consurgens adorauit prona in terram, & ait.*

Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.

PROPHETIAE. Psalm. 50. vers. 4 *Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.* Vers. 9. *Asperges me hyssopo & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* Cant. 5. 3. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos quomodo inquinabo illos?* Isai. 1. 16. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite benefacere.* Thren. 1. 8. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meam: quoniam erectus est inimicus.* Ezech. 36. 25. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos.*

VERITAS. Matth. 20. 26. 27. 28. *Non ita erit inter vos; sed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis.* Luc. 22. 27. 28. *Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Ioan. 13. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16 *Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor*

cor vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes: sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? respondit Iesus, & dixit ei: quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus: non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Iesus. Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis sed non omnes: sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit: non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cùm recubuisset iterum, dixit eis. Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestro, Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis: vt quemadmodum ego feci vobis: ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis: non est seruus maior Domino suo: neq; apostolus maior est eo qui misit illum.

CAPVT VIII.

Christus Dominus instituit sanctissimum Eucharistiæ sacramentum.

FIGVRAE. 1. Melchisedech sacerdos Dei altissimi rex Salē offert panem & vinum. Genes. 14. 18. 19. *At verò Melchisedech rex Salē proferens panem & vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cælum & terram.*

2. Agnus Paschalis comeditur. Exod. 12. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israël, & dicite eis. Decima die mensis huius tollat vnusquisq; agnum per familias & domos suas: sin autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui iunctus est domui suæ, iuxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni: Erit autem agnus absq; macula, masculus, anniculus, iuxta quem ritum tolletis & hœdum, & seruabitis eum vsq; ad decimam quartam diem mensis huius, immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam. Et sument de sanguine eius, & ponent super vtrumq; postem, & in superliminaribus domorum in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azimos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni. Caput cum pedibus & intestinis vorabitis. Nec remanebit quicquam ex eo vsq; manè; si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum. Re-*

nes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter: est enim Phase (id est transitus) Domini.

3. Phase illud magnum celebrat Iosias rex cui non fuit simile. 2. Par. 35. 18. *Non fuit Phase simile huic in Israël à diebus Samuelis prophetæ: sed nec quisquam de cunctis regibus Israël fecit Phase sicut Iosias, sacerdotibus, & Leuitis & omni Iudæ, & Israël qui repertus fuerat, & habitantibus in Ierusalem.*

4. Datur manna cæleste. Exod. 16. 13. 14. 15. *Factum est ergo vespere, & ascendens coturnix, cooperuit castra, manè quoq; ros iacuit per circuitum castrorum. Cumq; operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. Quod cùm vidissent filij Israël dixerunt ad inuicem: Manhu? quod significat: quid est hoc? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses. Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Num. 11. 7. *Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris bdelly.*

Prophetiae. Psalm. 77. 23. 24. 25. *Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis. Panem angelorum manducauit homo, cibaria misit eis in abundantiam.* Psalm. 109. 4. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Psalm. 103. 15. *Vt educas*

panem

panem de terra, & vinum lætificet cor hominis: ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Sap. 16. 20. Pro quibus angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Isai. 25. 6. 7. 8. 9. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra, quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, exspectauimus eum & saluabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius. Zachar. 9. 15. 16. Dominus exercituum protget eos, & deuorabunt: & subiicient lapidibus fundæ & bibentes inebriabuntur quasi a vino, & replebuntur vt phialæ, & quasi cornua altaris. Et saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, quasi gregem populi sui: quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius.

VERITAS. Matth. 26. 26. 27. 28. 29. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait. Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: bibite

bite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vsq; in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Similia Marc. 14. 22. 23. 24. 25. Luc. 22. 17. 18. 19. 20. Ioan. 6. 31. 32. 33. 34. 35 36. vt fol. 256. Vers. 48. 49. 50. 51. 52 53. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 1. Cor. 11. 20. 21. 22. 23 24. 25. 26. 27. 28. 29. Conuenientibus ergo vobis in vnum iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisq; enim suam cœnam præsumit ad manducandum, & alius quidem esurit: alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit. Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemoratio-

ratio-

rationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunq; bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Itaq; quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit: iudicium sibi manducat & bibit, non diudicans corpus Domini.

CAPVT IX.

Christus hymno dicto egreditur ad montem Oliuarum.

FIGVRAE. 1. Angeli volunt Loth in monte saluari. Genes. 19. 17. *Eduxerunq; eum, & posuerunt extra ciuitatem, ibiq; locuti sunt ad eum, dicentes: salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.*

2. Moyses omnia agere debebat secundùm exemplar illi in monte demonstratum. Exod. 25. 40. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte demonstratum est.*

3. Egreditur Dauid pedibus suis, quem omnes deflent cùm transgreditur Torrentem Cedron. 2. Reg. 15. 16. 23. vt infra capit. 51.

4. Asa in Torrente Cedron comburit simulachrum Priapi. Christus sudore suo cupidi-

ras

tates nostras venereas. 3. Reg. 13. 15. *Insuper & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius, quem consecrauerat, subuertitq; specum eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron.*

5. Iosias in valle Cedron comburit lucos, Christus vt idololatriam euertat eundem torrentem transit. 4. Reg. 23. 4. *Et præcepit Rex Helciæ Pontifici, & sacerdotibus secundi ordinis & ianitoribus, vt proijcerent de templo Domini omnia vasa quæ facta fuerant Baal, & in luco, & vniuersæ militiæ cæli, & combussit ea foris Ierusalem in conualle Cedron, & tulit puluerem eorum in Bethel.*

PROPHETIAE. Psalm. 109. 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Cant. 5. 1. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Ierem. 12. 7. 8. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silua: dedit contra me vocem, ideo odiui eam.* Thren. 1. 4. *Viæ Sion lugent, eo quòd non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ eius destructæ: sacerdotes eius gemẽtes: virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.* Vers. 8.

pecca-

Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est; omnes qui glorificabant eam, spreuerunt illam: quia viderunt ignominiam eius, ipsa autem gemens conuersa est retrorsum. Vers. 12. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me, sicut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.*

VERITAS. Matt. 26. 30. 31. 32. 33. 34. 35. *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Tunc dicit illis Iesus. Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte: scriptum est enim: percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus, ait illi: & si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus. Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. At ille Petrus. Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.* Similia Marci 14. 26. 27. 28. 29. 30. 31. Luc. 22. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. *Ait autem Dominus, Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Qui dixit ei. Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit. Dico tibi Petre non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis, quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt nihil: Dixit ergo eis:*

nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium: dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: satis est. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem oliuarum: secuti sunt autē illum & discipuli. Ioan. 18. 1. *Hæc cùm dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse, & discipuli eius.*

CAPVT X.

Christus venit in vallem Gethsemani, & ingreditur hortum.

FIGVRA. Helias fugiens Iezabelem abijt quocunq; eum ferebat voluntas, & petiuit animæ suæ vt moreretur. 3. Reg. 19. 3. 4. *Timuit ergo Elias, & surgens abijt quocunq; eum ferebat voluntas: venitq; in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perrexit in desertum, viam vnius diei. Cumq; venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ vt moreretur, & ait. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neq; enim melior sum, quàm patres mei.*

PROPHETIAE. Psalm. 101. 7. 8. *Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nicticorax in domicilio; vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Psalm. 142. 3. 4. *Quia*

persecutus est inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam vitam meam. Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum. Cant. 5. 1. 2. Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Et quia Gethsemani pinguedinem significat impletur vaticinium. Isai. 25. 6. 7. 8. 9. de quo capite octauo.

VERITAS. Matth. 26. 36. Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis, sedete hîc donec vadam illuc, & orem. Marc. 14. 32. Et veniunt in prædium cui nomen Gethsemani, & ait discipulis suis: sedete hîc donec orem. Luc. 22. 40. Et cùm peruenisset ad locum dixit illis: orate ne intretis in tentationem. Ioan. 18. 1. 2. Hæc cùm dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, vbi erat hortus in quo introiuit ipse, & discipuli eius: sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenenat illuc cum discipulis suis.

CAPVT

CAPVT XI.

Christus contristatur, & iubet suos orare, & vigilare.

Prophetiae. Psalm. 6. 3. *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum; sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea turbata est valdè: sed tu Domine vsquequo?* Psalm. 54. 5. 6. *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Psalm. 68. 1. *Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam.* Psalm. 87. 4. *Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.* Psalm. 114. 3. *Circumdederunt me dolores mortis; & pericula inferni inuenerunt me.* Isai. 1. 5. 6. *Super quo percutiam vos vltrà addentes prauaricationem? omne caput languidum & omne cor mœrens. A planta pedis vsq; ad verticem non est in eo sanitas: vulnus & liuor, & plaga tumens: non est circumligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo.*

Veritas. Matth. 26. 37. 38. *Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari, & mœstus esse. Tunc ait illis: tristis est anima mea vsq; ad mortem, sustinete hic, & vigilate mecum.* Marc. 14. 33. 34. *Et assumpsit Petrum, & Iacobum, & Iohannem secum, & cœpit pauere, & tædere. Et ait*

illis ; tristis est anima mea vsq; ad mortem, sustinete hîc, & vigilate. Luc. 22. 40. *Et cùm pervenisset ad locum, dixit illis : orate ne intretis in tentationem.*

CAPVT XII.

Christus orat in horto.

FIGVRAE. 1. Iacob & si obuios habuerit angelos, ad occursum tamen Esau fratris sui confugit ad orationem. Genes. 32. 1. *Iacob quoq; abijt in itinere quo cœperat: fueruntq; ei obuij Angeli Dei.* Vers. 7. *Timuit Iacob valdè & pertritus dimisit populum qui secum erat, greges quoq; & oues, & boues, & camelos in duas turmas.* Vers. 11. *Erue me de manu fratris mei Esau: quia valdè eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filijs.*

2. Salomon in dedicatione Ecclesiæ oratus ante altare Domini, in conspectu ecclesiæ Israël expandit manus suas in cælum. 3. Reg. 8. 22. *Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israël, & expandit manus suas in cælum.* 2. Par. 6. 12. *Stetit ergo coram altari Domini ex aduerso vniuersæ multitudinis Israël, & extendit manus suas.*

3. Iosaphat intelligens aduentum magni exercitus Moabitarum & Ammonitarum totum se contulit ad orandum Dominum contra eos. 2. Par. 20. 1. 2. 3.

4. Ezechias

4. Ezechias dum à Sennacherib rege Assyriorum per Rabsacem oppugnatur, confugit ad templum ad orandum Dominum, cui in subsidium mittitur Angelus Domini. Isai. 36. 1. 2. 3. 4. 5. Ibidem cap. 37. 1. 2. 3. 4. Similia 4. Reg. 19. 1. 2. 3. 4. 5.

Prophetiae. Psalm. 21. 3. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Psalm. 56. 2. *Miserere mei Deus miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.* Psalm. 59. 7. *Saluum fac dextera tua & exaudi me.* Thren. 3. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Tantùm in me vertit, & conuertit manum suam tota die. Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam, contriuit ossa mea. Ædificauit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore. In tenebrosis collocauit me, quasi mortuos sempiternos. Circumædificauit aduersum me, vt non egrediar: aggrauauit cõpedem meum. Sed & cùm clamauero, & rogauero excluſit orationem meam. Concluſit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subuertit. Vrſus insidians factus est mihi: leo in absconditis.*

Veritas. Matth. 26. 39. *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Vers. 42. *Iterum secundò abiit, & orauit, dicens. Pater mi si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Marc. 14. 35. 36. *Et cùm processisset paululum, procidit super terram, & orabat: vt*

si fieri posset transiret ab eo hora: & dixit, Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me. sed nō quod ego volo sed quod tu. Luc. 22. 41. 42. *Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis, & positus genibus orabat, dicens. Pater si vis, transfer calicem istum a me: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

CAPVT XIII.

Christus Dominus non habet vigilantes secum, aut sibi compatientes discipulos.

FIGVRA. Ioseph venditus à fratribus suis Ismaelitis, ducitur in Aegyptum, ab omnibus fratribus suis derelictus. Genes. 37. 38. *Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum.*

PROPHETIAE. Psalm. 68. 18. 19. 20. 21. *Et ne auertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me. Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum, & miseriam.* Psalm. 141. 5. *Considerabam ad dexteram & videbam; & non erat qui cognosceret me.*

VERITAS. Matth. 26. 40. 41. *Et venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: sic non potuistis una hora vigilare mecum?*

eum. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Vers. 43. 44. *Et venit iterum, & inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis, iterum abijt, & orauit tertiò eundem sermonem, dicens.* Vers. 45. *Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam, & requiescite: ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Similia Marc. 14. 37. 38. 39. 40. 41. 42. Et Luc. 22. 45. 46.

CAPVT XIV.

Christus in agonia constitutus, confortatur ab angelo.

FIGVRAE. 1. Angelus Domini adest sacrificanti Abrahæ. Genes. 22. 11. *Et ecce angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: adsum.*

2. Idem adest Moysi educturo filios Israël ex Aegypto. Exod. 3. 2.

3. Similiter Iosue in pugna sua. Ios. 5. 13. 14. *Cùm autem esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium, perrexitq; ad eum, & ait: Noster es, an aduersariorum? Qui respondit. Nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.*

4. Similiter Gedeoni. Iud. 6. 11. 12.

5. Præcedit etiam Iudam Machabæũ pugnaturũ contra Lysiam. 2. Mach. 11. 8. 9. *Cumq; pariter*

prompto animo procederent, Ierosolymis apparuit precedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & conualuerunt animis non solùm homines, sed & bestias ferocissimas & muros ferreos penetrare parati.

PROPHETIAE. Psalm. 8. 6. 7. Minuisti eum paulò minùs ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

VERITAS. Luc. 22. 43. Apparuit autem illi angelus de cælo confortans eum. Et factus in agonia, prolixiùs orabat. Hebr. 2. 7. Minuisti eum paulo minùs ab angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Vers. 17. Vndè debuit per omnia fratribus similari vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi.

CAPVT XV.

Christus in agonia prolixiùs orat.

PROPHETIA. Eccl. 4. 33. Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsq; ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

VERITAS. Luc. 22. 43. Apparuit autem illi angelus de cælo confortans eum. Et factus in agonia prolixiùs orabat. 1. Corint. 9. 25. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. 1. Tim. 1.

Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.

CAPVT XVI.

Christus sudat sanguinem.

FIGVRA. Vt primus Adam in sudore vultus sui comedit panem. Genes. 3. 19. 20. Sic Christus voluntatem Patris sui. (quæ cibus eius fuit) faciens. Luc. 22. 44. facie sanguineum sudorem emittit.

PROPHETIAE. Psal. 21. 15. 16. 17. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea, factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me*, &c. Ezech. 24. 12. 13. *Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neq; per ignem. Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis: sed nec mundaberis priùs, donec quiescere faciam indignationem meam in te.* Zach. 1. 8. *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo: & post eum equi rufi, varij, & albi.*

VERITAS. Luc. 22. 44. *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrã.*

CAPVT XVII.

Christum prodit Iudas cohorte assumpta.

FIGVRAE. 1. Pharao cum Aegyptijs persequitur Moysen. Exod. 14. 8. 9. *Induraui tq;*

Dominus cor Pharaonis regis Ægypti & persecutus est filios Israël. At illi egressi erant in manu excelsa. Cumq; persequerentur Ægyptij vestigia precedentium repererunt eos in castris super mare, omnis equitatus & currus Pharaonis, & vniuersus exercitus erant in Phihahiroth contra Beelsephon.

2. Saul mittit apparitores vt occidant Dauidem. 1. Reg. 19. 1. 2. Varium etiam exercitum contra eum comparat, maximè. 1. Reg. 23. 7. &

3. Achitophel contra Dauidem apud Absolonem agit. 2. Reg. 26. 21. 22. 23. vt cap. 5.

4. Rex Syriæ contra Helisæum mittit milites vt capiatur. 4. Reg. 6. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. &

5. Ioab osculando pacificè Amasam eum confodit. 2. Reg. 20. 9. *Dixit itaq; Ioab ad Amasam: salue mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, quia percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est. Ioab autem, & Abisai frater eius persecuti sunt Seba filium Bochri.*

PROPHETIAE. Psalm. 40. 10. *Etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem.* Psalm. 54. 14. 15. 16. *Tu verò homo vnanimis: dux meus, & notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulauimus cum consensu. Veniat mors super illos; & descendant in infernum viuentes; quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum*

rum. Psal. 108. 16. 17. *Pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam. Et persecutus est hominē inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.* Psal. 139. 3. 4. 5. 6. *Qui cogitauerunt iniquitates in corde: tota die constituebant prælia. Acuerūt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labijs eorum. Custodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me. Qui cogitauerunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi: & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt mihi.* Prou. 27. 6. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Isai. 53. 7. *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*

Veritas. Matt. 26. 46. 47. 48. 49. 50. *Surgite eamus: ecce appropinquauit qui me tradet. Adhuc eo loquente ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs, & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens. Quemcumq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum, dixit. Aue Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitq; illi Iesus. Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.* Similia Marc. 14. 41. 42. 43. 44. 45. qui etiam dicit Iudam dixisse vt ducerent eum cautè. Luc. 22. 47. 48. *Adhuc eo loquente ecce turba, & qui vocabatur Iudas, vnus de duc-*

de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Iesu vt oscularetur eum. Iesus autem dixit illi. Iuda, osculo Filium hominis tradis? Ioan. 18. 2. 3. *Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locũ: quia frequenter Iesus cõuenerat illuc cũ discipulis suis. Iudas ergo cùm accepisset cohortẽ, & à pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.*

CAPVT XVIII.

Inimici Domini Christum non agnoscentes cadunt retrorsum.

FIGVRAE. 1. Sodomitæ irruere volentes in domum iusti Lot percutiuntur cæcitate. Genes. 19. 10. 11.

2. Heli audita voce, capta est arca Dei, cecidit retrorsum confracta ceruice. 1. Reg. 4. 18. *Cumq; ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est: senex enim erat vir & grandæus, & ipse iudicauit Israël quadraginta annis.*

3. Milites regis Syriæ volentes capere Elisæum excæcantur quoad ostendit se Elisæus. 4. Reg. 6. 18. 19. 20. *Hostes verò descendentes ad eum, porrò Elisæus orauit ad Dominum, dicens. Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussit q; eos Dominus, ne viderent, iuxta verbum Elisæi. Dixit autẽ ad eos Elisæus. Non est hac via neq; ista est ciuitas: sequimini me, & ostendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergo eos in Sammariam, cumq; ingressi fuissent in Samariam dixit Elisæus. Domine, aperi oculos istorum, vt videant. Aperuit Dominus*

Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samaria Deut. 28. 6. 7. *Benedictus eris tu ingrediens & egrediens; dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo. Per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua.*

Prophetiae. Iob. 29. 17. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Psalm. 28. 4. 5. *Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.* Psalm. 39. 15. *Confundantur & reuereantur simul, qui quærunt animam meam, vt auferant eam. Conuertantur retrorsum, & reuereantur qui volunt mihi mala.* Psal. 75. 8. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.* Psalm. 128. 5. *Confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.* Isai. 28. 13. *Et erit eis verbum Domini. Manda, remanda, manda remanda, exspecta, reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi: vt vadant & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.* Ierem. 18. 23. *Tu autem Domine scis omne consiliũ eorum aduersum me in mortẽ: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.* Thren. 1. 8. *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est: omnes qui glorificabant eam, spreuerunt illam: quia viderunt ignominiam eius; ipsa autem gemens conuersa est retrorsum.*

trorsum. Ibidem cap. 2. 2. 3. *Præcipitauit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob: destruxit in furore suo, munitiones virginis Iuda, & deiecit in terram: polluit regnum, & principes eius. Confregit in ira furoris sui omne cornu Israël, auertitque retrorsum dexteram suam à facie inimici: & succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.*

VERITAS. Ioan. 18. 5. 6. 7. 8. *Respondérunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis; ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum interrogauit eos. Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus, dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire.*

CAPVT XIX.

Christus capitur.

FIGVRAE. 1. Tria millia de tribu Iuda veniunt vt capiant Samsonem & ligent. Iud. 15. 11. 12. 13.

2. Comprehenditur Ieremias, ducitur ad principes & traditur in carcerem. Ierem. 37. 13. 14. *Et respondit Ieremias falsum est, non fugio ad Chaldæos. Et non audiuit eum, sed comprehendit Iezias Ieremiam & adduxit eum ad principes. Quamobrem irati principes contra Ieremiam, cæsum miserunt eum in carcerem, qui erat in domo Ionathæ scribæ: ipse enim præpositus erat super carcerem.*

3. Dantur vincula super Ezechielē. Ezech. 3. 25. *Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabūt te in eis, & non egredieris de medio eorum.*

Prophetiae. Psalm. 16. 11. 12. *Proiectientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram. Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam; & sicut catulus leonis habitans in abditis.* Psalm. 21. 17. *Quoniam circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me*, &c. Psalm. 55. 2. 3. *Miserere mei Deus quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersum me.* Dicitur enim Iudæos conculcasse Chtistum pedibus. Psalm. 40. 10. *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Psal. 70. 10. 11. *Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui custodiebant animã meã, consilium fecerunt in vnum, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum; quia non est qui eripiat.* Psal. 118. 61. *Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus.* Psal. 139. 6. *Absconderunt superbi laqueũ mihi & funes extenderunt in laqueũ; iuxta iter scandalũ posuerunt mihi.* Isai. 53. 7. *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Ierem. 30. 8. 9. *Et erit in die illa, ait Dominus exercituum, conterã iugum eius de collo tuo, & vincula eius dirumpam & nõ dominabũtur ei amplius alieni; sed seruiẽt Domino Deo suo, & Dauid regi suo, quẽ suscitabo eis.* Thre. 1. 14. *Vigilauit iugum iniquitatũ mearũ: in manu eius*

conua-

conuoluta sunt & imposita collo meo : infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manus, de quibus non potero surgere. Ibid. 4. 20. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus; in vmbra tua viuemus in gentibus. Exech. 3. 25. Et tu fili hominis ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris de medio eorum. Idq; vt traheret nos in funiculis Adam.

VERITAS. Matt. 26. 50. Dixitq; illi Iesus: amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, & miserunt manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Marc. 14. 46. At illi manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum. Luc. 22. 54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum pontificis sacerdotum: Petrus verò sequebatur à longè. Ioan. 18. 12. 13. Cohors ergo, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm: erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.

CAPVT XX.

Christus ostendit quod sponte capiatur, & deprotestate tenebrarum.

FIGVRAE. 1. Egreditur Diabolus, & efficitur spiritus mendax in ore omnium prophetarum. 3. Reg. 22. 22. Et ille ait. Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus, decipies & præualebis: egredere & fac ita.

2. Sa-

2. Satanæ datur potestas in Iob. quem percutit vlcere pessimo, animā tamē illius seruare iubetur. Iob. 2. 4. 5. 6. 7. 8. *Cui respondens Satan, ait. Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan. Ecce in manu tua est. Veruntamen animam illius serua. Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsq; ad verticem eius. Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.*

3. Satan aduersatur Iesu sacerdoti magno qui stat coram Angelo Domini. Zach. 3. 1. *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, & Satan stabat à dextris eius vt aduersaretur ei.*

4. Non est potestas quæ comparetur illi. Iob. 41. 24. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeat.*

Prophetia. Iob. 30. 25. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.*

Veritas. Matth. 26. 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quam duodecim legiones angelorum?* Vers. 55. 56. *In illa hora dixit Iesus turbis. Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. Hoc autem to-*

tum factum est, vt adimplerentur scripturæ prophetarum. Marc. 14. 48. 49. Et respondens Iesus ait illis. Tanquam ad latronem existis cum gladijs, & lignis comprehendere me? quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis. Sed vt impleantur scripturæ. Luc. 22. 52. 53. 54 Dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores. Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus? cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum: Petrus vero sequebatur a longe. Ioan. 18. 5. 6. 7. 8. 9. Respondetunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis; ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram Iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus, dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire: vt impleretur sermo quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.

CAPVT XXI.

Zelus Petri in defensione Christi, quem Christus non admittit.

FIGVRAE. 1. Phinees confodit Zambri cum alienigena fornicantem, & meruit sacerdotium perpetuum. Numer. 25. 6. 7. 8. Vers. 13.

13. Iccirco loquere ad eum: ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum: quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israël.

2. Moyses defendens fratres percutit Aegyptum. Exod. 2. 15. *Audiuit q3 Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen, qui confugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum.*

3. Abisai conatur amputare caput Semei qui maledixit Dauidi, quod impediuit Dauid. 2. Reg. 16. 9. 10. 11. 12. *Dixit autẽ Abisai filius Saruiæ regi, quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi? vadã & amputabo caput eius. Et ait rex. Quid mihi & vobis filij Saruiæ? dimittite eum, vt maledicat. Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid, & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Et ait rex Abisai, & vniuersis seruis suis: ecce filius meꝰ, qui egressus est de vtero meo, quærit animã meam: quãto magis nunc filius Iemini? dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.*

4. Dauid impedit eundem volentem occidere Saulem. 1. Reg. 26. 7. 8. 9. 10. 11.

Veritas. Matt. 26. 51. 52. 53. 54. *Et ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladiũ suum, & percutiens seruũ principis sacerdotũ amputauit auriculã eius. Tunc ait illi Iesus: conuerte gladium tuũ in locum suũ: omnes enim qui acceperint*

gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Similia Marc. 14. 47. Luc. 22. 49. 50. 51. Ioan. 18. 10. 11. *Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram: erat autem seruo nomen Malchus. Dixit ergo Iesus Petro. Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?*

CAPVT XXII.

Fuga discipulorum Christi, conculcatio & tractio per torrentem.

PROPHETIAE. Iob. 6. 15. *Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in conuallibus.* Ibidem cap. 19. 12. 13. 14. 15. 16. *Simul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculũ meum. Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, obliti sunt mei. Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum. Seruum meum vocaui, & non respondit, ore proprio deprecabar illum.* Capit. 30. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Abominantur me, & longè fecerunt à me, & faciem meam conspuere non verentur: pharetram enim suam aperuit, & afflixit me, & frenum posu-*

in os meum. Ad dexteram orientis calamitates meæ illicò surrexerunt: pedes meos subuerterunt, & oppresserunt quasi fluctibus semitis suis: dissipauerunt itineræ meæ, insidiati sunt mihi, & prævaluerunt & non fuit qui ferret auxilium. Quasi rupto muro, & aperta ianua irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt. Redactus sum in nihilum; abstuliſti quasi ventus desiderium meum, & velut nubes pertransiit salus mea. Nunc autem in memetipso marcessit anima mea, & possident me dies afflictionis. Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt. In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me. Comparatus sum luto & assimilatus sum fauillæ & cineri. Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non recipis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè. Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti: veruntamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam, & si corruerint ipse saluabis. Psalm. 10. 1. 2. In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde. Psalm. 21. 2. Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorũ meorum. Psalm. 29. 8. 9. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ad te Domine clamabo: &

ad Deum meum deprecabor. Psalm. 30.12.13.14. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valdè, & timor notis meis. Qui videbant me, foras fugerunt à me: obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde. Factus sum tanquam vas perditũ: quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu: In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt.* Psalm. 37.12.13. *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt. Et qui iuxta me erant de longè steterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Psalm. 40.10. *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Nam Iudas putatur Dominum pedibus tum calcasse, vt de Dei vnigenito scriptum. 4. Esdr. 5.28. Psalm. 55. 2. vt capit. 19. Psalm. 68. 21. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium exspectauit cor meum, & miseriam,* &c. Psalm. 87.9. *Longè fecisti notos meos à me; posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, & non egrediebar.* Vers. 18.19. *Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul. Elongasti à me amicum, & proximum; & notos meos à miseria.* Isai. 63. 2. 3. 4. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum; calcaus eos in furore meo, & conculcaui eos in*

ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui: dies enim vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Zach. 13. 5. 6. 7. *Sed dicet non sum propheta, homo agricola ego sum; quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Et dicetur ei. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet. His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem, & dispergentur oues, & conuertam manum meam ad paruulos.*

Veritas. Matth. 26. 56. *Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Marc. 14. 50. 51. 52. *Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo; & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone nudus profugit ab eis.*

CAPVT XXIII.

Christus ligatus ad Annam ducitur.

Figvrae. 1. Constituti tempore Susannæ duo senes iudices, à quibus exijt iniquitas. Dan. 13. 5. *Et constituti sunt de populo duo senes iudices in illo anno: de quibus locutus est Dominus: quia egressa est iniquitas de Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.*

2. Spontè ligatus qui potuit vincula dirumpere vt Samson. Iud. 16. 8. 9. *Attulerunt ergo ad eam Satrapæ Philistinorum septem funes, vt dixerat: quibus vinxit eum, latentibus apud se insidijs, & in cubiculo finem rei exspectantibus, clamauitq; ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui rupit vincula, quomodo si rumpat quis filum de stuppæ rotundum putamine, cùm odorem ignis acceperit; & non est cognitum in quo esset fortitudo eius.* Vers. 12. *Quibus rursum Dalila vinxit eum, & clamauit: Philisthiim super te Samson, in cubiculo insidijs præparatis, qui ita rupit vincula quasi fila telarum.* Vt postmodum Christus exijt clauso sepulchro.

PROPHETIA. Psalm. 2. 2. *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Dirumpamus vincula eorum: & proiiciamus à nobis iugum ipsorum.*

VERITAS. Ioan. 18. 12. 13. 14. *Cohors ergo, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm: erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudæis: quia expedit, vnum hominem mori pro populo.* vt suprà capit. 2.

CAPVT XXIIII.

Ducitur ad Domum Caiphæ, vbi omnes conueniunt sacerdotes & scribæ.

FIGVRAE. 1. Fratres Ioseph videntes eum venientem cogitant & concludunt eum occidere

cidere. Genes. 37. 18. 19. 20. *Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere: & mutuo loquebantur, ecce somniator venit, venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusq; fera pessima deuorauit eum: & tũc apparebit quid illi prosint somnia sua.*

2. Simeon & Leui vasa bellantia & mali consilij homines. Genes. 49. 5. 6. 7. vt fol. 267.

3. Philisthæi audientes Samsonem intrasse vrbem Gazam, circumdederunt eum positis custodibus in porta tota nocte. Iud. 16. 2. *Quod cùm audissent Philisthiim & percrebuisset apud eos, intrasse vrbem Samson, circumdederunt eum positis in porta ciuitatis custodibus, & ibi tota nocte cum silentio præstolantes, vt facto mane exeuntem occiderent.*

4. Menelaus nil dignum habet sacerdotio, animum verò habet crudelis Tyranni & feræ bestiæ. 2. Mach. 4. 25. *Acceptisq; à rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio: animos verò crudelis Tyranni, & feræ belluæ iram gerens.* Sic Pontifex Caiphas, & Annas.

5. 1. Esdr. 9. 2. *Manus principum & magistratuum fuerunt in hac transgressione prima.*

Prophetiae. Psalm. 2. 2. *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius.* Psalm. 21. 2. *Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.* Vers. 17. *Quoniam circumdederunt me canes*

multi: consilium malignantium obsedit me. Thren. 2. 16. *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui sibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt. Deuorabimus en ista est dies, quam expectabamus, inuenimus, vidimus.* Thren. 3. 59 to 61, 62. 63. *Vidisti Domine iniquitatem illorum aduersum me: iudica iudicium meum. Vidisti omnem furorem, vniuersas cogitationes eorum aduersum me. Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum aduersum me. Labia insurgentium mihi; & meditationes eorum aduersum me tota die. Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide, ego sum psalmus eorum.*

VERITAS. Matth. 26. 57. *Ad illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, vbi scriba & seniores conuenerant.* Vers. 59. *Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt.* Marc. 14. 53. *Et adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem, & conuenerunt omnes sacerdotes, & scribæ, & seniores.* Vers. 55. *Summi verò sacerdotes, & omne concilium quærebant aduersus Iesum testimonium, vt eum morti traderent, nec inuenebant.* Luc. 22. 54. *Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum: Petrus verò sequebatur eum à longè.* Ioan. 18. 24. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.*

* * *

CAPVT

CAPVT XXV.

Christus palàm locutus est.

Figvrae. 1. Ionatham filius Ieroboal in vertice montis Garizim eleuata voce arguit viros Sichem multis parabolis, quod sibi in iudicem adsciuerant Abimelech qui 70. fratres filios Ieroboal occiderat. Iud. 9. 5. 6. 7.

2. Dauid in vertice montis stans, Abisai eum occidere voluit Saul, Abner principem militiæ Saulis, & populum negligentem regem, coarguit. 1. Reg. 26. 5. 6. 7. 8. 9. Vers. 13. 14. 15. 16.

Prophetiae. Prou. 8. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Nunquid non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam? In summis excelsisq; verticibus supra viam, in mediis semitis stans, iuxta portas ciuitatis in ipsis foribus loquitur, dicens. O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli astutiam, & insipientes animaduertite. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum: & aperientur labia mea, vt recta prædicent. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium. Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum.* Isai. 45. 19. *Non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso: non dixi semini Iacob: frustrà quærite me, ego Dominus loquens iustitiam, annuncians recta.* Ibid. cap. 65. 2. *Expãdi manũ meas tota die ad populũ incredulũ qui graditur in via*

in via nõ bona post cogitationes suas. Vers. 12 13. 14. *Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis: pro eo quòd vocaui, & non respondistis: locutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.*

VERITAS. Ioan. 18. 19. 20. 21. *Respondit ei Iesus. Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego.*

CAPVT XXVI.

Christus alapa cæditur.

FIGVRA. Michæas propheta prædicans ve-
ra, & mortem Achab vaticinans, à Sedechia
in maxilla cæditur. 3. Reg. 22. 17. *Et ille ait: Vi-
di cunctum Israël dispersum in montibus, quasi oues
non habentes pastorem. Et ait Dominus: Non habe-
bent isti dominum: reuertatur unusquisq; in do-
mum suam in pace.* Vers. 24. *Accessit autem Se-
dechias filius Chanaana, & percussit Michæam in
maxillam, & dixit. Me ne ergo dimisit spiritus Do-
mini, & locutus est tibi?*

PRO-

Prophtiae. Iob. 16. 10. 11. 12. *Collegit furorem suum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. Aperuerunt super ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. Concluſit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.* Iob. 30. 9. 10. vt capit. 22. Isai. 50. 6. 7. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus: ideo non ſum confuſus: ideo poſui faciem meam vt petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar.* Thren. 3. 30. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs.* Mich. 5. 1. *Nunc vaſtaberis filia latronis, obſidionem poſuerunt ſuper nos, in virga percutient maxillam iudicis Iſraël.*

Veritas. Ioan. 18. 22. 23. *Hæc autem cùm dixiſſet, vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: ſic reſpondes pontifici? Reſpondit ei Ieſus: ſi malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis?* Plura capite trigeſimo tertio.

CAPVT XXVII.

Petrus negat Chriſtum.

Figvrae. 1. Fratres Ioſeph miſſa eius veſte tincta ſanguine ad patrem, negant eum viuere. Geneſ. 37. 31. 32. *Tulerunt autem tunicam eius & in ſanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt.*

xerunt mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent, hanc inuenimus, vide vtrum tunica filij tui sit an non.

2. Tandem coram ipso Iosepho dicunt eũ mortuum. Genes. 42. 32. *Duodecim fratres sumus patre geniti sumus, vnus non est super, minimus autem patre nostro est in terra Chanaan.*

PROPHETIAE. Iob. 19. 14. 15. vt capit. 22. Psal. 101. 9. *Tota die exprobrabãt mihi inimici mei, & qui laudabant me, aduersum me iurabant.* Isai. 46. 8. *Mementote istud, & confundamini, redite prævaricatores ad cor.* Ierem. 31. 18. 19. *Audiens audiui Ephraim transmigrantes: castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus, convertere me & conuertar, quia tu Dominus Deus meus.* Thren. 2. 18. 19. *Clamauit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: deduc quasi torrentem lachryma per diem, & noctem: non des requiem tibi, neq; taceat pupilla oculi tui: consurge laudans in nocte in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Thren. 4. 1. 2. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion inclyti & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Plura capit. 6. & 7.

VERITAS. Matt. 26. 58. *Petrus autem sequebatur eum à longè, vsq; in atrium principis sacer-*

dot-

cerdotum. Vers. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. *Petrus verò sedebat foris in atrio; & accessit ad eum vna ancilla, dicens: & tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi. Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento: quia non noui hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro, verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari, & iurare quia non nouisset hominem. Et continuò gallus cantauit, & recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat, priusquàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras flevit amarè.* Similia Marc. 14. 54. Et Vers. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. Luc. 22. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. *Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit; & hic cum illo erat. At ille negauit eum, dicens. Mulier, non noui illum. Et post pusillum alius videns eam, dixit: & tu de illis es. Petrus verò ait: O homo, non sum. Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens. Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus est. Et ait Petrus. Homo nescio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente cantauit gallus. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquàm gallus cantet ter*

mè

me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amare. Ioan. 18. 15. 16. 17. 18. *Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ: & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria. Nunquid & tu ex discipulis hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem serui, & ministri ad prunas: quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se:* Vers. 25. 26. 27. *Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se: dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? negauit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei vnus ex seruis pontificis cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam. Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus: & statim gallus cantauit.*

CAPVT XXVIII.

Contra Christum agitur falsis testimoniis.

FIGVRAE. 1. Iezabel quæ figura erat synagogæ, falsis testibus agit contra Naboth. 3. Reg. 21. 5. *Ingressa est autem ad eum Iezabel uxor sua, dixitq; ei: Quid est hoc, vnde anima tua contristata est? & quare non comedis panem?* Vers. 13. *Et adductis duobus viris filijs diaboli, fecerunt eos sedere contra eum: at illi, scilicet vt viri diaboli, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine.* *Benedixit Naboth Deum & Regem: quamobrem*

eum

aduxerunt eum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt.

2. Duo senes inueterati dierum agunt falso testimonio contra castam Susannam. Daniel. 13.36.

Prophetiae. Psalm. 16.8.9.10. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, vt pupillam oculi: sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt. Inimici meæ animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.* Psal. 31.1. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum.* Psalm. 21.13. *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.* Psalm. 26.11. 12. *Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitã rectam propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Psalm. 34.11. *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.* Psalm. 37.13. *Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates; & dolos tota die meditabantur.* Psalm. 63.7. *Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio.* Psalm. 108.2.3.4. *Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis. Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.* Osee. 7.13.

Væ eis, quoniam recesserunt à me; vastabuntur, quia prævaricati sunt in me: & ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia. Deut. 19. 15. *Non stabit testis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.*

VERITAS. Matt. 26. 59. 60. 61. *Principes autem sacerdotum & omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt, cùm multi falsi testes accessissent. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt: hic dixit; possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Marc. 14. 55. 56. 57. 58. 59. *Summi verò sacerdotes, & omne concilium quærebant aduersus Iesum testimonium, vt eum morti traderent, nec inueniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum; & conuenientia testimonia non erant. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes: Quoniam nos audiuimus eum dicentem: ego dissoluam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo. Et non erat conueniens testimonium illorum.* Similia 38. cap.

CAPVT XXIX.

Tacet Christus ad interrogationem Caiphæ.

PROPHETIAE. Psal. 37. 13. 14. 15. *Et vim faciebant qui quærebant animam meam: & qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates, & dolos*

dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones. Psalm. 38. 2. 3. Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis: & dolor meus renouatus est. Isai. 42. 14. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiẽs loquar: dissipabo, & absorbebo simul. Ibidem capit. 53. 7. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Thren. 3. 63. Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide, ego sum psalmus eorum. Ezech. 3. 25. 26. Et tu fili hominis ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis: & non egredieris de medio eorum. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans: quia domus exasperans est.

Veritas. Matth. 26. 62. 63. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi. Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius DEI.

Similia Marc. 14. 60. 61. Et plura vide capite 38.

CAPVT XXX.

Prædicit sessionem ad dexteram Patris, & aduentum in nubibus.

FIGVRAE. Vidit Daniel Filium hominis in nubibus cæli venientem, Dan. 7. 13. 14. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatē, & honorem, & regnū: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas aterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.*

PROPHTIAE. Psalm. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.* Zach. 12. 10. *Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum, & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.*

VERITAS. Matth. 26. 63. 64. *Et princeps sacerdotum ait illi. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es filius Dei. Dicit illi Iesus: tu dixisti: verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Similia Marc. 14. 60. 61. 62. Luc. 22. 66. 67. 68. 69. 70. 71. *Et vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & scribæ, & duxerunt eum in concilium suum, dicentes. Si tu es Christus dic nobis. Et ait illis: si vobis dixero non credetis mihi: si autem*

lem & interrogauero non respondebitis mihi, neq; dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes. Tu ergo es Filius Dei? qui ait: vos dicitis: quia ego sum. At illi dixerunt. Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius.

CAPVT XXXI.

Iudicatur Christus.

FIGVRAE. 1. Naboth piissimus nolens reo linquere alijs vineam paternam, falsis testibus obrutus, condemnatur. 3. Reg. 21. 1. 2. 3. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

2. Pia Susanna nolens mœchari cum improbis iudicibus innocéter condemnatur. Dan. 13. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30 31 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41.

3. Ieremias propheta cùm à principibus sacerdotum reus mortis iudicatur, à populo innocens habetur. Ierem. 26. 11. *Et locuti sunt sacerdotes & prophetæ ad principes, & ad omnem populum, dicentes. Iudicium mortis est viro huic: quia prophetauit aduersus ciuitatem istam, sicut audistis auribus vestris.* Vers. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Et dixerunt principes, & omnis populus ad sacerdotes & prophetas. Non est viro huic iudicium mortis: quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos. Surrexerunt ergo viri de senioribus terræ, & dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes, Michaas de Moraschi fuit propheta in diebus E-*

Ezechiæ regis Iuda, & ait ad omnem populum Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem in acervum lapidum erit, & mons domus in excelsa sylvarum. Nunquid morte condemnauit eum Ezechias rex Iuda, & omnis Iuda? nunquid non timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem Domini: & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat aduersus eos? Itaq; nos facimus malum grande contra animas nostras. Fuit quoq; vir prophetans in nomine Domini, Vrias filius Semei de Cariathiarim, & prophetauit aduersus ciuitatem istam, & aduersus terram hanc iuxta omnia verba Ieremiæ. Et audiuit rex Ioacim, & omnes potentes, & principes eius verba hæc: & quæsiuit rex interficere eum. Et audiuit Vrias, & timuit fugit q; & ingressus est Ægyptum. Et misit rex Ioacim viros in Ægyptum, Eleathan filium Achobor, & viros cum eo in Ægyptum. Et eduxerunt Vriam de Ægypto; & adduxerunt eum ad regem Ioacim, & percussit eum gladio, & proiecit cadauer eius in sepulchris vulgi ignobilis. &c.

PROPHETIAE. Ierem. 11. 19. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cognouerunt super me consilia, dicentes. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Ibid. cap. 18. 18. Et dixerunt: venite, & cogitemus contra Ieremiam cogitationes: non enim peribit lex à sacerdote, neq; consilium à sapiente, nec sermo à propheta: venite, & percutiamus eum lingua

lingua. & nō attendamus ad vniuersos sermones eius. Vers. 23. Tu autem Domine scis omne consilium eorum aduersum me in mortem, ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum a facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris abutere eis. Iob 36. 17. Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciūq; recipies. Psal. 30. 13. 14. Obliuioni datus sum, tanquam mortuus a corde. Factus sum tanquam vas perditum: quoniam audiui vituperationē multorum commorantium in circuitu. Psal. 37. 8. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus; & non est sanitas in carne mea Psal. 85. 14. Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meā: & non proposuerūt te in conspectu suo. Psal 93. 21. Captabunt in animā iusti: & sanguinem innocentē condemnabunt. Sap 2. 12. 13. 14 15 16 17. 18. 19. 20 Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiā Dei habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditijs, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ vētura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouissima illius. Si enim est verus filius Dei, sus-

scipiet illũ, & liberabit eum de manibus contrariũ. Contumelia & tormẽto interrogemus eũ, vt sciamus reuerentiã eius, & probemus sapientiã illius. Morte turpissima condemnemus eũ: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Isai. 3. 9. 10. *Ruit enim Ierusalem, & Iudas concidit & lingua eorũ & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Agnitio vultus eorum respondit eis, & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt: Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. Dicite iusto quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* Ibidem capit. 6. 10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggrauа, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur & sanem eum.* Quæ verba etiam citantur. Matth. 13. 14. 15. Luc. 8. 10. Ioan. 12. 40. Actor. 28. 26. Rom. 11. 8. *Sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt nõ videant, & aures vt non audiant, vsq; in hodiernum diẽ.*

VERITAS. Matth. 26. 65. 66. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis.* Marc. 14. 63. 64. *Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait. Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam; quid vobis videtur? Qui omnes condemnarunt eum esse reum mortis.* Vide plura cap. 49.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Summus pontifex scidit vestimenta sua.

FIGVRAE. Et sic prophetizat vt Samuel in scissa veste Saulis. 1. Reg. 15. 26. 27. 28. *Et ait Samuel ad Saul. Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus ne sis rex super Israël, Et conuersus est Samuel vt abiret. Ille autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est, Et ait ad eum Samuel. Scidit Dominus à te regnum Israël hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Achias scissione pallij sui in duodecim partes prædicit scissionem regni Salomonis Ieroboam. 3. Reg. 11. 29. 30. 31. 32.

PROPHETIAE. Agit Caiphas contra legem datam. Leu. 21. 10. *Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusq; est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet.* Ioël. 2. 13, *Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.*

VERITAS. Matth. 26. 65. 66. Marc. 14. 63. 64. vt præcedenti capite trigesimo primo.

CAPVT XXXIII.

Christus illuditur, facies eius velatur, conspuitur, colaphis & alapis cæditur.

FIGVRAE. 1. Fratres Ioseph statim vt ad illos

Ioseph venit, nudant eum tunica polymita, diſſo
li illudunt. Gen. 37. 18. 19. *Qui cùm vidiſſent eum
procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt ut
occiderent: & mutuo loquebantur, ecce ſomniator ue
nit.* Vers. 23. *Confeſtim igitur vt peruenit ad fratres
ſuos, nudauerunt eum tunica talari & polymita.*

2. Samſon captus & orbatus oculis iubetur
ludere coram Philiſtæis conuiuantibus, in quem
ſine dubio plurima ſcommata congeſta fuerunt.
Iud. 16. 21. *Quem cùm apprehendiſſent Philiſtæi,
ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vin
ctum catenis & clauſum in carcere molere fecerunt.*
Vers. 25. 26. 27. *Lætantesq; per conuiuia, ſumpto
iam epulo, præceperunt vt vocaretur Samſon, & lu
eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos,
fecerunt̃q; eum ſtare inter duas columnas. Quibus
puero regenti greſſus ſuos: dimitte me, vt tangam co
lumnas, quibus omnis imminet domus, & reclinet ſu
per eas, & paululum requieſcam. Domus autem erat
plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes prin
cipes Philiſtinorum, ac de tecto ac ſolario circiter
tria millia virorum̃q; ſexus ſpectantes ludentem Samſon.*

3. Contra Ieremiam varia tentãt. Thren. 3.
59. 60. 61. 62. 63. 64. *Vidiſti Domine iniquitatem
illorum aduerſum me, iudica iudicium meum. Vidi
ſti omnem furorem, vniuerſas cogitationes eorum ad
uerſum me: audiſti opprobrium eorum Domine, om
nes cogitationes eorum aduerſum me. Labia inſur
gentium mihi, & meditationes eorum aduerſum me
tota die. Seſſionem eorum, & reſurrectionem eorum
quæ

uide, ego sum psalmus eorum. Reddes eis vicem Domine iuxta opera manuum suarum.

4. Michæas vera dicens alapis à Sedechia cæditur. 3. Reg. 22. 17.

5. Ezechiel vt portentum faciem velare iubetur. Ezech. 12. 6. Iob. 16. 11. 12. *Aperuerunt super me ora sua, & exprobrãtes percusserũt maxillam meã satiati sunt pœnis meis. Concluſit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.* Iob. 30. 10. *Abominantur me, & longe fugiunt à me & faciẽ meam conſpuere non verentur.* Pſal. 21. 13. 14. *Circũdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederũt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.* Pſal. 68. 10. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi cecideruũt ſuper me.* Iſai 50. 6. 7. *Corpus meum dedi percutientibus, &c.* vt fol. 72. Iſai. 53. 5. *Ipſe autem vulneratus eſt, &c.* vt fol. 73. Ibid. cap. 57. 3. 4. *Vos autem accedite huc filij auguratricis ſemen adulteri & fornicariæ. Super quem luſiſtis ſuper quem dilataſtis os & eieciſtis linguam? nunquid non vos filij ſceleſti ſemen mendax.* Ier. 20. 7. *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum: fortior me fuiſti & inualuiſti: factus ſum in deriſum tota die omnes ſubſannant me.* Thren. 3. 30. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs.* Thren. 4. 16. *Facies Domini diuiſit eos, non addet vt reſpiciat eos, facies ſacerdotum non erubuerunt, neq; ſenum miſerti ſunt.*

Veri-

VERITAS. Matt. 26. 67. 68. *Tunc exp... puerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt dicentes: prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Marc. 14. 65. *Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cedere: & dicere ei: prophetiza, & ministri alapis eum cedebant.* Luc. 22. 63. 64. 65. *Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei cedentes, & velauerunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est qui te percussit? & alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Plura 28 & 15 capitibus.

CAPVT XXXIIII.

Compassio, dolor, & mœror beatissimæ Matris quem ea nocte habuit.

PROPHETIAE. Iob. 19. 9. 10. *Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo, destruxit me vndiq; & pereo, & quasi cuncte arbori abstulit spem meam.* Thren. 1. 3. *Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis: habitauit inter gentes, nec inuenit requiem: omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.* Vers. 12. *O vos omnes, qui transitis per viam attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me, & locutus est Dominus in die furoris sui.* Thren. 2. 13. *Cui comparabo te, aut cui assimilabo te filia Ierusalem? Cui exæquabo te, & consolaber te virgo filia Sion? magna est enim*

mare contritio tua: quis medebitur tui? Ibid. 3. 15. *Repleuit me amaritudinibus inebriauit me absynthio.*

Veritas. Luc. 2. 35. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.*

CAPVT XXXV.

Christus vinctus ducitur ad Pilatum.

Figvrae. Filij Iuda duxerunt Samsonem iudicem suum ligatum & tradiderunt in manus Philisthinorum. Iud. 15. 12. 13. *Quibus Samson, iurate, ait, & spondete mihi quod non occidatis me. Dixerunt: Non te occidemus, sed vinctum trademus, ligauerunt q3 eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam.* Figuræ aliæ & prophetiæ eædem quæ cap. 24.

Veritas. Matth. 27. 1. 2. *Mane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.* Similia Marc. 15. 1. & Luc. 23. 1. Ioan. 18. 28. *Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem manè, & ipsi non introierunt in prætorium vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.*

CAPVT XXXVI.

Iudas laqueo se suspendit & crepat medius proiectus prius in templum 30. denariis.

FIGVRA. Fratres Ioseph vendiderunt illum, & vt alij habent viginti argenteis. Gen. 37. *Et pratereuntibus Madianitis negociatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis: qui duxerũt eum in Ægyptũ.*

PROPHETIAE. Psal. 19. 16. *Exultabimus in salutari tuo: infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt, in laqueo isto, quem absconderunt comprehensus est pes eorum.* Psal. 10. 6. 7. *Dominus interrogat iustum & impium, qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam, pluet super peccatores laqueos: ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psal. 34. 8. *Veniat illi laqueus quem ignorat & captio quam abscondit, apprehendat eum: & in laqueũ cadat in idipsam.* Psal. 68. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & in scandalum, obscurentur oculi eorum ne videant & dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet: quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum & non intrent in iustitiam tuam. Deleantur de libro viuentium & cum iustis non scribantur.* Psalm. 108. vbi ponuntur

30. mi

30. maledictiones Iudæ. Vers. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Osee 5. 1. *Audite hoc sacerdotes & attendite domus Israël, & domus regis ausculiate: quia vobis iudicium est; quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor.* Amos. 2. 6. *Hæc dicit Dominus super tribus sceleribus Israël & super quatuor non convertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis.* Zach. 11. 12. 13. *Et dixi ad eos si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam: & si non quiescite, & appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me proice illud ad statuarium decôrum pretium, quo appretiatus sum ab eis, & tuli argenteos: & proieci illos in domum Domini ad statuarium.*

Veritas. Matth. 27. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens. Peccavi, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in carbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum, propter hoc vocatus est ager ille Haceldema. hoc est, ager sanguinis, usq; in hodiernum diem.*

Tunc

Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt a filiis Israël: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Actor. 1. 16. 17. 18. 19. 20. *Viri fratres oportet impleri scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum, qui connumeratus erat in nobis & sortitus est sortem ministerij huius. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius, & notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita vt appellaretur ager ille, lingua eorum Haceldema, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim de libro psalmorum: fiat commoratio eorum deserta & non sit qui inhabitet in eis. & episcopatum eius accipiat alter.* 1. Thim. 6. 9. *Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueũ Diaboli, & desideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines ad interitum & perditionem.*

CAPVT XXXVII.

Pretio triginta argenteorum emitur ager à sacerdotibus.

FIGVRAE. Ieremias emit agrum ab Hanameël qui scribitur in libro & signatur. Ier. 32. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

PROPHETIA. Psalm. 61. 5. *Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere, cum in siti ore suo benedicebant & corde suo maledicebãt.*

Vi

Veritas. Matt. 27.7.8.9.10. vt præcedenti capite. Actor. 1. 18. 19. vt eodem cap.

CAPVT XXXVIII.

Christus apud Pilatum accusatur.

Figvra. Daniel accusatur apud Darium & tandem innocens condemnatur ad lacum leonum. Dan. 6. *12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.*

Prophetiae. Psalm. *14. 3. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.* Psalm. 56. 5. *Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus, filij hominum dentes eorum, arma & sagittæ & lingua eorum gladius acutus.* Psalm. 63. 4. *Quia exacuerunt vt gladium linguas suas: intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum.* Psalm. 108. 2. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.* Psalm. 139. 2. 3. 4. *Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me. Qui cogitauerunt iniquitates in corde tota die constituebant prælia. Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.* Ezech. 16. 48. *Viuo ego dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua, & filiæ eius, sicut feciſti tu & filiæ tuæ.* Osee. 7. 13. *Væ eis, quoniam recesserunt à me: vastabuntur, qui prævaricati sunt in me: & ego redemi eos: & ipsi locuti sunt contra me mendacia.*

VERITAS. Matth. 27. 2. *Et vinctum adduxerunt eum & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.* Luc. 23. 1. 2. *Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare cæsari, & dicentem, se Christum regem esse.* Ioan. 18. 29. 30. 31. 32. *Exiuit ergo Pilatus ad eos foras & dixit. Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Nisi esset hic malefactor non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: accipite eum vos & secundùm legem vestram iudicate eum, dixerunt ergo Iudæi. Nobis non licet interficere quenquam, vt sermo Iesu impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus.*

CAPVT XXXIX.

Christus fatetur se regem & ad testandam veritatem venisse, tacet ad conuitia Iudæorum & ad interrogationem Pilati.

FIGVRA. Quærunt fratres à Iosephum rex illorum erit. Genes. 37. 7. 8. *Putabam nos ligare manipulos in agro & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosq; manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt fratres eius. Nunquid rex noster eris? aut subiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atq; sermonum, inuidiæ & odij vomitem ministrauit.*

PROPHETIA. Psalm. 2. 6. *Ego autem constitu-*

constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Psalm. 84. 11. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.* Alia vt capite vigesimo nono.

Veritas. Matth. 27. 11. 12. 13. 14. *Iesus autem stetit ante præsidem & interrogauit eum præses dicens: Tues rex Iudæorum? Dicit illi Iesus, tu dicis. Et cùm accusaretur à pontificibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer.* Marc. 15. 2. 3. 4. 5. *Et interrogauit eum Pilatus: Tu es rex Iudæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus autem rursum interrogauit eum dicens. Non respondes quidquam? Vide in quantis te accusant. Iesus autem amplius nihil respondit, ita vt miraretur Pilatus.* Luc. 23. 3. 4. *Pilatus autem interrogauit eum, dicens. Tues rex Iudæorum? At ille respondens ait: Tu dicis; ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas, nihil inuenio causæ in homine.* Ioan. 18. 33. 34. 35. 36. 37. 38. *Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum & dixit ei: Tues Rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus. Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid*

feciſti? Reſpondit Ieſus: regnum meum non eſt de hoc mundo, ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit itaq; ei Pilatus: ergo rex es tu? Reſpondit Ieſus, tu dicis, quia rex ſum ego, ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum vt teſtimonium perhibeam veritati: omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam: Dicit ei Pilatus: quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: ego nullam inuenio in eo cauſam.

CAPVT XL.

Chriſtus à Pilato mittitur ad Herodem, ibidem illuditur, & irriſus alba veſte remittitur ad Pilatum.

FIGVRAE. 1. Dauid apud Achis regem Geth fugiens Saulem immutat vultum, & dicitur furere. 1. Reg. 21. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

2. Filius prophetæ miſſus ab Eliſæo ad vngendum Iehu in regem Iſraël à ſocijs Iehu inſanus habitus eſt. 4. Reg. 9. 11. 12. *Iehu autem egreſſus eſt ad ſeruos domini ſui, qui dixerunt ei: Recténe ſunt omnia? quid venit inſanus iſte ad te? Quibus ait eis: noſtis hominem, & quid locutus ſit? At illi reſponderunt. Falſum eſt ſed magis narra nobis. Qui ait eis hæc & hæc locutus eſt mihi, & ait: Hæc dicit Dominus vnxi te regem ſuper Iſraël.*

3. Rogant principes Sedechiam vt occidatur Ieremias, quaſi non quærat pacem populo ſed malum. Ierem. 38. 4. *Et dixerunt principes*

regi: Rogamus vt occidatur homo iste: de industria enim dissoluit manus virorum bellantium, qui remanserunt in ciuitate hac, & manus vniuersi populi, loquens ad eos iuxta verba hæc? siquidem homo iste non quærit pacem populo huic sed malum.

4. Vulpium Samsonis caudæ colligatæ. Iudic. 15. 4. vt iam Pilati & Herodis animus

Prophetiae. Psalm. 2. 2. 3. *Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Dirumpamus vincula eorum: & proiiciamus à nobis iugum ipsorum.* Plura superioribus capitibus.

Veritas. Luc. 23. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *At illi inualescebant, dicentes. Commouit populum docens, per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsq; huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat ipsis diebus: Herodes autem viso Iesu, gauisus est valdè, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri: interrogabat autem eum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum, spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant adinuicem. Pilatus autem conuocatis principibus*

sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit ad illos: obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam causam inueni in homine isto ex his in quibus eum accusatis, sed neq; Herodes, nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei.

CAPVT XLI.

Barabbas latro præfertur Christo Domino & dimittitur.

FIGVRAE. 1. Adam & Eua eligunt magis mortem quàm vitam. Genes. 2. 17. *Ex omni ligno paradysi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quo mandato spreto, comedunt de ligno prohibito, & diabolus præfertur Deo. Ibid. cap. 3. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

2. Leprosus lepra mundatus duos passeres offert, quorum alter immolatur, alter dimittitur liber. Leuit. 14. 4. 5. 6. 7.

3. Sententia mortis fertur in Ieremiam prophetam. Ierem. 26. 11. 12. 13.

PROPHETIAE. Psalm. 13. 3. 4. 5. *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant venenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio*

infelix

infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum. Psal. 117. 22. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli.* Similia Matth. 21. 42. Marc. 12. 10. Luc. 20. 17. Actor. 4. 11. 1. Petr. 2. 7. Prouerb. 21. 18. *Pro iusto dabitur impius & pro rectis iniquus.* Isai. 1. 2. 3. 4. *Audite cæli & auribus percipe terra quoniam Dominus locutus est, filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit, væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum.* Ibidem capit. 53. 2. *Ideo dispertiam ei plurimos: & fortium diuidet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Hier. 2. 12. 13. 14. *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Nunquid seruus est Israël, aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam?* Ibidem capit. 8. 3. *Et eligent magis mortem quàm vitam omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima in vniuersis locis quæ*

derelicta sunt, ad quæ eieci eos dicit Dominus exercituum. Capit. 12. 7. 8. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius, facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua, dedit contra me vocem, ideo odiui eam.* Osee. 3. 1. *Et dixit Dominus ad me: adhuc vade & dilige mulierem dilectam amico & adulteram, sicut diligit Dominus filios Israël, & ipsi respiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia vuarum.* Mich. 6. 2. 3. 4. 5. *Audiunt montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ: quia iudicium Domini cum populo suo & cum Israël diiudicabitur. Populе meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi: Quia eduxi te de terra Ægypti & de domo seruitutis liberaui te: & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam, populе meus memento quæso quid cogitauerit Balach rex Moab, & quid responderit ei Balaam filius Beor, de Setim vsq; ad Galgalam, vt cognosceres iustitias Domini.*

VERITAS. Matth. 27. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Per diem autem solemnem consueuerat præses populo dimittere vnum vinctum quem voluissent, habebat autem tunc vinctum insignem qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus, quem vultis dimittam vobis Barabbam an Iesum qui dicitur Christ⁹, sciebat enim quod per inuidiã tradidissent eũ. Sedente autem illo pro tribunali misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iusti illi, multa enim passa sum hodie, per visum propter eum*

eum. Principes autem sacerdotum, & seniores persuaserunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum vero perderent. Respondens autem praeses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti, at illi dixerunt: Barabbam. Dicit illis Pilatus. quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: crucifigatur. Ait illis praeses: quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: crucifigatur. Similia Marc. 15. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Et Luc. 23. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. Ioan. 18. 39. 40. *Est autem consuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in pascha, vultis ergo dimittam vobis regem Iudaeorum? Clamauerunt ergo rursum omnes dicentes: Non hunc sed Barabbam, erat autem Barabbas latro.*

CAPVT XLII.

Christus exuitur, ligatur, flagellatur.

FIGVRAE. 1. Ioseph antequam mittatur in cisternam veterem in qua non est aqua, exuitur à fratribus veste polymita. Genes. 37. 23. *Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari & polymita.*

2. Hieremias verberibus afficitur. Ierem. 20. 2. *Et percussit Phassur Ieremiam prophetam, & misit eum in neruum, quod erat in porta Beniamin superiori, in domo Domini.*

3. Eleazarus cùm à morte potuerat liberari, plagas tamen, & duros corporis dolores sustinuit. 2. Mach. 6. 30. 31. Iob. 16. 14. 15. *Circumde-*

cumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos non pepercit & effudit in terra viscera mea. Confidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. Ibidem capit. 19. 6. *Saltem nunc intelligite quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit*

PROPHETIAE. Psalm. 34. 15. 16. *Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt. Congregata sunt super me flagella, & ignorani. Dissipati sunt nec compuncti, tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione frenduerunt super me dentibus suis.* Psalm. 37. 18. *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Psalm. 68. 5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quæ non rapui tunc exoluebam.* Psalm. 72. 14. *Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.* Psal. 108. 3. *Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me: & expugnauerunt me gratis.* Isai. 1. 6. *A planta pedis vsq; ad verticem non est in eo sanitas. Vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo.* Ibidem capit. 50. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Huc spectat cap. 53. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Matth. 20. 19. *Et tradens eum gentibus ad illudendum, flagellandum & crucifigendum, & tertia die resurget.*

Ve-

Veritas. Matth. 27. 26. 27. *Tunc dimisit illis Barabbam : Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur. Tunc milites praesidis suscipientes Iesum in praetorium. Congregauerunt ad eum vniuersam cohortem.* Marc. 15. 15. *Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Iesum flagellis caesum, vt crucifigeretur.* Luc. 22. 13. 14. 15. 16. *Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit ad illos, obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto ex his in quibus eum accusatis, sed neq; Herodes : nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam.* Vers. 23. 23. 24. 25. *Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo : Corripiam ergo illum & dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur : & inualescebant voces eorum, & Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant, Iesum verò tradidit voluntati eorum.*

Ioan. 19. 1. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum & flagellauit.*

*

CAPVT

CAPVT XLIII.

Christus chlamyde coccinea circumdatur.

FIGVRAE. 1. Zaram frater Phares natus alligato filo coccineo. Genes. 38. 27. 28. *Infantze autem partu, apparuernt gemini in utero: nam in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: iste egredietur prior.*

2. Iudas lauit stolam in vino & pallium in sanguine vuæ. Genes. 49. 11. *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem ô fili mi asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & sanguine vua pallium suum.*

3. Raab dat exploratoribus signum redemptionis filum coccineum. Ios. 2. 18.

4. Vestes summi sacerdotis inter cætera erant ex byssо & purpura coccoq; bistincto, & pilis caprarum. Exod. 25. 4.

5. Hæc vestis chlamis erat militaris, purpura regia quæ promissa Danieli interpretanti somnia, à Baltsasare. Dan. 5. 16. *Porrò ego audiui de te, quod possis obscura interpretari & ligata dissoluere: si ergo vales scripturam legere, & interpretationem eius indicare mihi, purpura vestieris, & torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris.* Missa Ionathæ purpura ab Alexandro Antiochi filio. 1. Mach. 10. 20. *Et nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuæ, & vt amicus voceris regis, (& misit ei pur-*

ei purpuram & coronam auream) & quæ nostra sunt sentias nobiscum & conserues amicitiam ad nos. Vide & capit. 11. 58. *Et misit illi vasa aurea in ministerium, & dedit ei potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream.* Ibidem capit. 14. 43. *Et cura sit illi de sanctis: & vt audiatur ab omnibus, & scribantur in nomine eius omnes conscriptiones, in regione, & vt operiatur purpura & auro.* Vers. 45. *Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit.* Induetur autē Christus postea à patre cœlesti, vt Mardochæus veste regia Esther. 6. 8. vbi Mardochæus debuit indui vestibus regijs & imponi super equum qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, & vt Ioseph byssina stola regis Pharaonis. Gen. 41. 42. *Tulitq; annulū de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitq; eum stola byssina, & collo torquem aureum circumposuit.*

6. Vestis verbi Dei aspersa fuit sanguine. Apocal. 19. 13. 14 15. 16. *Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius verbum Dei. Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo. Et de ore eius procedit gladius ex vtraq; parte acutus: vt in ipso percutiat gentes & ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, & habet in vestimento, & in fœmore suo scriptum: Rex regum & Dominus dominantium.*

Prophetiae. Prouerb. 31. 22. *Stragulatam*

tam vestem fecit sibi: byssus & purpura indumentum eius. Isai. 1. 18. *Et venite arguite me, dicit Dominus si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Ibidem cap. 53. 1. 2. 3. 4. *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitiens: non est species ei, neq; decor, & vidimus eum & non erat aspectus, & desideravimus eum. Despectum & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde non reputauimus eum, vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum.*

VERITAS. Matth. 27. 28. *Et exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt.* Marci 15. 17. *Et induunt eum purpura & imponunt ei plectentes spineam coronam.* Ioan. 19. 5. (*Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam & purpureum vestimentum*) *& dicit eis. Ecce homo.*

CAPVT XLIIII.

Christus spinis coronatur & arundine percutitur.

FIGVRAE. 1. Videt Abraham arietem inter vepres hærentem pro filio immolandum. Genes. 22. 13. *Leuauit Abraham oculos suos, vidit q; post tergum arietem inter vepres hærentē cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.*

2. Iacob

2. Iacob transit Iordanem in baculo. Gen. 32. 10. *Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam expleuisti seruo tuo: in baculo meo transiui Iordanem istum & nunc cum duabus turmis regredior.*

3. Filij Israël comedentes agnum paschalem habent baculos in manibus. Exod. 12. 11.

4. Virga in manibus Moysi, quæ Aegyptijs ex malis Iudæis vertitur in colubrum. Exod. 4. 3. *Dixitq; Dominus proiice eam in terram, proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* Et bonos ducit per mare rubrum. Exod. 14. 16. *Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud: vt gradiantur filij Israël in medio mari per siccum.*

Prophetiae. Psalm. 22. 4. *Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es, virga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.* Psalm. 31. 4. *Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Psal. 44. 7. *Sedes tua Deus in seculum seculi: virga directionis virga regni tui.* Psal. 102. 4. *Qui redimit de interitu vitã tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Cant. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias.* Cant. 3. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius* Eccli. 28. 28. *Sepi*

dieres

aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras. Isai. 28. 5. 6. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ & serium exultationis residuo populi sui, & spiritus iudicij sedenti super iudicium, & fortitudo reuertentibus ab bello ad portam.* Isai. 62. 3. *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Osee. 2. 6. *Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet.* Mich. 5. 1. *Nunc vastaberis filia latronis: obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam iudicis Israël.*

VERITAS. Matth. 27. 29. *Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius.* Marc. 15. 17. *Et induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam.* Ioan. 19. 2. *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum.*

CAPVT XLV.

Varijs modis Christus illuditur in domo Pilati.

FIGVRA. Dauid fugiens Absolonem cum tristis discalceatus operto capite incederet, à Semei multis iniurijs afficitur. 2. Reg. 16. 5. & 7. 8. *Venit ergo rex Dauid usq; Bathurim, & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul nomine Semei filius Gera, procedebatq; egrediens, & maledicebat, mittebatq; lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos regis Dauid: omnis autem*

populus, & vniuersi bellatores à dextro & à sinistro latere regis incedebant. Ita autem loquebatur Semei cùm malediceret regi: Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial, reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul: quoniam inuasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalon filij tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.

Prophetiae. Isai. 50. 7. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus, ideo posui faciem meam vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar. Ierem. 20. 7. Seduxisti me Domine & seductus sum, fortior me fuisti, & inualuisti: factus sum in derisum, tota die omnes subsannant me. Quia iam olim loquor vociferans iniquitatem & vastitatem clamito, & factus est mihi sermo Domini in opprobrium & in derisum tota die. Ezech. 3. 9. Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neq; metuas à facie eorum: quia domus exasperans est.

Veritas. Matth. 27. 27. 28. 29. 30. 31. Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde & induerunt

duerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum ut crucifigerent. Similia Marc. 15. 16. 17. 18. 19. Et Ioan. 19. 2. 3.

CAPVT XLVI.

De Christi ad populum productione & dicta, Ecce homo.

FIGVRAE. 1. Fratres Ioseph sanguine hœdi infectam tunicam mittunt patri, quærentes vt videat an tunica filij sit, qui scissis vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum longo tempore. Genes. 37. 31. 32. 33. 34. *Tulerunt autem tunicam eius & in sanguine hœdi quem ceciderant, tinxerunt: mittentes qui ferrent ad patrem & dicerent, hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit an non. Quam cùm cognouisset, pater ait: Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph, scissisq; vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.*

2. Facies & vultus Oniæ summi sacerdotis immutatus in sacrilegio Heliodori. 2. Mach. 3. 16. *Iam verò qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim & colores immutatus declarabat internum animi dolorem.*

PROPHETIAE. Psalm. 21. 7. *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Psalm. 30. 12. 13. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valdè: & timor notis meis. Qui videbant me, fugerunt à me: obliuioni datus sum tanquã mortuus*

corde. Psalm. 77. 8. *Ne fiant sicut patres eorum: generatio prauа & exasperans.* Cant. 3. 11 *Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Isai. 1. 6. *A planta pedis vsq; ad verticem non est in eo sanitas.* Isai. 53. 2. 3. *Et ascendet sicut virgultum coram eos, & sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neq; decor & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum. Despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius, & despectus, unde nec reputavimus eum.* Ier. 2. 12 13. *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Ibid. cap. 5. 11. *Prævaricatione enim prævaricata est in me domus Israël, & domus Iuda, ait Dominus.* Capit. 12. 7. 8. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius, facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua: dedit contra me vocem, ideo odiui eam.* Thren. 1. 12. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me, vt locutus est Dominus in die furoris sui.*

Veritas. Luc. 2. 34. *Et benedixit illis Simeõ, & dixit ad Mariã matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël,*

& in signum cui contradicetur. Ioan. 19. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Exiuit ergo iterum Pilatus foras & dicit eis, ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. (Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam & purpureum vestimentum.) Et dicit eis. Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum: & dixit ad Iesum: vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus, mihi non loqueris, nescis quia potestatē habeo crucifigere te, & potestatē habeo dimittere te? Respondit Iesus. Non haberes potestatē aduersum me vllam, nisi tibi datū esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet, & exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.

CAPVT XLVII.

De iterata Christi ad populum productione, & mortis eius à Iudæis petitione. Et dicto, Ecce rex vester.

FIGVRAE. 1. Furor Simeonis & Leui maledictus. Genes. 49. 5. 6. 7. vt fol. 267.

2. Danielem à Satrapis per inuidiam accu-

sato

satum Rex Darius cupit liberare, obstrepentibus satrapis & clamantibus ilum vt negligentem legum persicarum damnatum iri. Dan. 6. 13. 14. 15. 16.

3. Ioseph cùm retulisset somnium de sui adoratione patitur repulsam à fratribus dicentibus; nunquid rex noster eris? Genes. 37. 7. 8. *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestros q3 manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Respondérunt fratres eius: Nunquid rex noster eris? aut subiiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atq3 sermonum, inuidiæ & odij fomitem ministrauit.*

4. Filij Belial dixerunt de Saule, an illos rex ille saluare posset. 1. Reg. 10. 26. 27. *Sed & Saul abiit in domum suam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus quorum tetigerat Deus corda. Filij vero Belial dixerunt. Num saluare nos poterit iste? & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò dissimulabat se audire.*

PROPHETIAE. Psalm. 13. 3. *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsq3 ad vnum. Sepulchrum patens est guttur eorum: Linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labijs eorum.* Psalm. 56. 5. *Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus: Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.*

VERITAS. Matth. 27. 19. 20. 21. 22. 23.

vt suprà cap. 41. Luc. 23. 20. 21. 22. 23. *Iterum autem Pilatus locutus est ad eos volens dimittere Iesum. At illi succlamabant dicentes, crucifige: crucifige eum: Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in illo: Corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum.* Ioan. 19. 13. 14. 15. *Pilatus autem cùm audisset hos sermones adduxit foras Iesum: & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem parasceue Paschæ, hora quasi sexta: & dicit Iudæis, ecce rex vester. Illi autem clamabant, Tolle, tolle crucifige eum. Dicit eis Pilatus, regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices. Non habemus regem nisi Cæsarem.*

CAPVT XLVIII.

Sanguinem Christi s. per se petunt perfidi Iudæi.

FIGVRAE. 1. Vox sanguinis Abel clamat ad Deum de terra. Genes. 4. 10. 11. 12. *Dixitq; ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram.*

2. Sanguis Naboth exposcit sanguinem Achab quē canes lambunt. 3. Reg. 21. 19. Et euer-

sionem

sionem totius domus Achab. Vers. 20. 21. 22 Et interitum Iezabel. Vers. 23. 24. 25 Capit. 22. 38. *Et lauerunt currum eius* (Achab scilicet) *in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem eius, & habenas lauerunt, iuxta verbum Domini quod locutus fuerat.* De interitu verò Iezabel. 4. Reg 9. 32. 33. 34. 35. 36. 37. Ibid. cap. 10. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Cumq; venissent litteræ ad eos tulerunt filios regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Iezrahel, venit autem nuncius, & indicauit ei dicens. Attulerunt capita filiorum regis*, &c. Et hæc omnia propter innocentem etiam sanguinem Naboth effusum ab Achab.

3. Sanguis Ioseph exquiritur teste Ruben. Genes. 42. 22. *E quibus vnus Ruben ait: Nunquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: & non audistis me? en sanguis eius exquiritur.*

Prophetiae. Gen. 9. 4. 5 6. *Excepto quod carnē cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri, & fratris eius requiram animam hominis. Quicunq; effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe DEI factus est homo.* Psalm. 16. 14. *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Saturati sunt filijs: & dimiserunt reliquias suas paruulis suis.* Psalm. 29. 10. *Quæ vtilitas in sanguine meo dum*

descendo in corruptionem? Psalm. 78. 10. *Ne forte dicant in gentibus: vbi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris, vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est*, &c. Isai. 1. 15. *Et cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Ibidem capit. 26. 21. *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltrà interfectos suos.* Ierem. 6. 26. *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum: quia repentè veniet vastator super vos.* Thren. 4. 13. 14. *Propter peccata prophetarum eius, & iniquitatem sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum. Errauerunt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine: cum quæ non possent, tenuerunt lacinias suas.* Osee. 5. 1. *Audite hoc sacerdotes, & attendite domus Israël & domus regis auscultate: quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor.* Nahum. 3. 1. 2. 3. *Væ ciuitati sanguinum, vniuersa mendacij dilaceratione plena: non recedet à te rapina, vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis, & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ: nec est finis cadauerum, & corruent in corporibus suis.*

VER

VERITAS. Matt. 27. 24. 25. *Videns autẽ Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram populo, dicẽs: innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.*

CAPVT XLIX.

Christus innocens damnatur ad mortem.

FIGVRAE. 1. Naboth innocens à principibus Iezrahel iussu impiæ Iezabelis iniquè damnatur ad mortem. 3. Reg. 21. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12 13. 14. vt 31. capit.

2. Sic Susanna & Ieremias, vt eodem capite 31.

3. Ministri iustitiæ non rectè iudicant. Sapient. 6. 5. *Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis nec custodistis legem iustitiæ, neq; secundùm voluntatem Dei ambulastis.* Neq; abiicitur Samuel sed Dominus. 1. Reg. 8. 7. *Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, sed me ne regnem super eos.*

4. Non sequenda turba ad faciendum malum. Exod. 23. 2. *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies.*

PROPHETIAE. Iob. 34. 5. 6. *Quia dixit Iob, iustus sum & Deus subuertit iudicium meum: in iu-*

dicando enim me, mendacium est violenta ſa-
gitta mea abſq; vllo peccato. Iob. 36. 17. *Cauſam*
quaſi impy iudicata est cauſam iudicium q; recipies.
Pſalm. 17. 44. 45. 46. *Eripies me de contradi-*
ctionibus populi: Conſtitues me in caput Gentium,
Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu
auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti ſunt mihi,
filij alienati inueterati ſunt, & claudicauerunt a
ſemitis ſuis. Pſalm. 88. 23. 24. 25. *Nihil proficiet*
inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet
nocere ei & concidam à facie ipſius inimicos eius:
& odientes eum in fugam conuertam. Et veritas
mea, & miſericordia mea cum ipſo: & in nomine
meo: &c. Pſalm. 93. 21. *Captabunt in animam*
iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt.
Sapient. 2. 20. *Morte turpiſſima condemnemus*
eum: erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius.
Iſai 50. 2 3. *Quia veni, & non erat vir: vocaui,*
& non erat qui audiret: nunquid abbreuiata & par-
uula facta est manus mea vt non poſſim redimere?
aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in in-
crepatione mea deſertum faciam mare, ponam flu-
mina in ſiccum: computreſcent piſces ſine aqua, &
morientur in ſiti: induam cælos tenebris, & ſac-
cum ponam operimentum eorum. Iſai. 57. 1. *Iuſtus*
perit, & non est qui recogitet in corde ſuo: & viri
miſericordiæ colliguntur, quia non est qui intelli-
ligat, à facie enim malitiæ collectus est iuſtus. Iſai.
63. 9. 10. *In omni tribulatione eorum non est tri-*
bulatus, & angelus faciei eius ſaluauit eos; in dile-

ctione

ctione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus seculi, ipsi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt spiritum sancti eius: & conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos. Ierem. 5. 30. 31. Stupor & mirabilia facta sunt in terra: prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in nouissimo eius? Daniel. 9. 26. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est: & ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Osee. 4. 1. 2. Audite verbum Domini filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ, non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Osee. 10. 3. 4. Quia nunc dicent: Non est rex nobis: non enim timemus Dominum: & rex quid faciet nobis? Loquimini verba visionis inutilis, & feriet is fœdus, & germinabit quasi amaritudo iudicium super sulcos agri. Plura 31. capit.

Veritas. Matt. 27. 26. Tunc dimisit illis Barabbam: Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur. Marc. 15. 15. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur.

Luc.

Luc, 23. 23 24. 25. *At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur : & inualescebant voces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant, Iesum verò tradidit voluntati eorum.* Ioan. 19. 15. 16. *Illi autem clamabant: tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur.*

CAPVT L.

Educitur Christus vt crucifigatur & baiulat sibi crucem.

FIGVRAE. 1. Cain educit fratrem suum vt eum occidat, & contra eum consurgat. Gen. 4. 8. *Dixitq; Cain ad Abel fratrem suum, egrediamur foras, cumq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel & interfecit eum.*

2. Educitur pius Loth è Sodoma antequá subuertatur, & in monte se saluum facit. Genes. 19. 17. *Eduxeruntq; eum, & posuerunt extra ciuitatem: ibiq; locuti sunt ad eum, dicentes: salua animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.*

3. Isaac cum patre ad montem proficiscés in quo sacrificaretur, ipse ligna sacrificij gestat in humeris. Genes. 22. 3. 4. 5. 6. *Igitur Abraham*

bam de nocte consurgens strauit asinum suum ducens secum duos iuuenes & Isaac filium suum. Cumq; concidisset ligna in holocaustum, abijt ad locum quem praeceperat ei Deus. Die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procùl: dixitq; ad pueros suos: expectate hîc cum asino, ego & puer illuc vsq; properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Tulit quoq; ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gladium

4. Deus ostendit Moysi lignum, quod cùm misisset in aquas amaras in dulcedinem versæ sunt. Exod. 15. 23. 24. 25.

5. Christus portat Iudæos super alas aquilarum. Exod. 19. 4. *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptijs quomodo portauerim vos super alas aquilarum: & assumpserim mihi.*

6. Ad peccati expiationem sumitur vitulus sine macula, qui extra castra comburitur. Leuit. 4. 3. 4. 11. 12. Ibidem capit. 16. 10. *Caprum emissarium statuet viuum coram Domino vt fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem.* Vers. 27. *Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in sanctuarium vt expiatio compleretur, asportabunt foras castra, & comburent igni, tam pelles quàm carnes eorum ac fimum.* Hebr. 13. 11. 12. 13. 14. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus vt sanctificaret per*

suum

suum sanguinem populum extra portam passus est, exeamus igitur ad eum extra castra improperium eius portantes. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem sed futuram inquirimus.

7. Vir vestitus lineis imprimit signũ Thau super frontes virorum gementium & dolentiũ super cunctis abominationibus Ierusalem. Ezech. 9.3.4. *Et gloria Domini Israël assumpta est de cherub quæ erat super eum ad limen domus: & vocauit virum qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. Et dixit Dominus ad eum: transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ sunt in medio eius.*

8. Præcidit Abimelech arboris ramum: impositumq; ferens humero dicit socijs: quod me videtis facere, facite citò. Iud. 9. 47. 48. 49.

9. Altare ita extructum fuit vt potuerit portari. Exod. 37. 25. 26. 27.

10. Vadit iam dilectus Cant. 4. 6. admonetem myrrhæ & collem thuris. Myrrha crux amara. Thus holocausto verò adhibetur. Diamus & nos cum sponsa. Cant. 13. 13. *Fasciculum myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

11. Hæres vineæ eiicitur à colonis extra eam. Matth. 21. 38. 39. Marc. 12. 8. Luc. 20. 14. 15.

PRO

Prophetiae. Psalm. 22. 4. *Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Psalm. 95. 10. *Dicite in gentibus quia Dominus regnauit. Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.* Quem locum citant alij. *Dominus regnauit à ligno*; sic legit Iustinus Martyr in Dialogo contra Triphonem Iudæum. Tertulianus libr. 3. contra Marcionem. Cyprianus tractatu de Sina in Sion. Leo papa sermone nono de passione. Augustinus super psalmum 95. & sic canit Ecclesia. Psalm. 68. 12. *Et posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam.* Isai. 9. 6. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Ibidem capt. 22. 2. *Clamoris plena vrbs frequens, ciuitas exultans: interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui in bello.* Capit. 46. 4. *Vsq; ad senectam ego ipse, & vsq; ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo & saluabo.* Capit 53. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Verè languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portauit*, &c. vt folio 73. Ierem. 11. 19. *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius*

Ve-

VERITAS. Matth. 27. 31. *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eius chlamyde, & induerunt eum vestimentis eum, & duxerunt eum vt crucifigerent eum.* Marc. 15. 20. *Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt illum vt crucifigerent eum,* Ioan. 19. 16. 17. 18. *Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Susceperunt autem Iesum & eduxerunt. Et baiulans sibi crucem exiuit in eum qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha: vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum.*

CAPVT LI.

Alloquitur Christus lamentantes & sequentes se mulieres.

FIGVRAE. 1. Davidem egredientem Ierosolymam in persecutione filij Absolonis sequitur populus plangens eum. 2. Reg. 15. 16. *& egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis: & dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* Vers. 22, 23. *Et ait Dauid ad Ethai: veni, & transi. Et transiuit Ethai Getheus, & omnes viri qui cum eo erant, & reliqua multitudo: omnesq; flebant voce magna, & vniuersus populus transibat, rex quoq; transgrediebatur Torrentem Cedron. Et cunctus populus incedebat contra viam quæ respicit ad desertum.*

2. Filiæ Ierusalem debent flere Saulem. 1. Reg.

Reg. 1. 24. *Filiæ Israël super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.*

Prophetiae. Isai. 2. 19. *Et introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere terram.* Zach. 12. 10. 11. *Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.* Osee. 10. 8. *Et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israël: lappa & tribulus ascendet super aras eorum, & dicent montibus: operite nos, & collibus: cadite super nos.* Thren. 1. 15. 16. 17. *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei; vocauit aduersum me tempus vt contereret electos meos: torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda. Idcirco ego ploraus, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me consolator. Conuertens animam meam; facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam: mandauit Dominus aduersum Iacob, in circuitu eius hostes eius, facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos.* Apoc. 6. 15. 16. 17. *Et reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium: & dicunt montibus, & petris; cadite super nos, & abscondite nos à*

facie sedentis super thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare? Ibidem cap. 9. 6. *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.*

VERITAS. Luc. 27. 27. 28. 29. 30. 31. *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illos Iesus, dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

CAPVT LII.

Simon Cyrenæus angariatur vt crucem Christo Domino portet.

FIGVRAE. 1. Hæc dies expiationis, & propitiationis, in qua omnis anima affligi debet. Leu. 23. 28. 29. 30. *Omne opus seruile non facietis in tempore diei huius, quia dies propitiationis est, vt propitietur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis, & quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo.*

2. Omnis creatura Creatori in hac die compatitur, & ingemiscit reuelationem filiorum Dei expectans. Rom. 8. 19. *Nam expectatio creaturæ*

creaturæ, reuelationm filiorum DEI expectat.

Prophetiae. Si compatimur & conregnabimus. Rom. 8. 17. *Si autem filij & hæredes: hæredes quidē Dei, cohæredes autem Christi: si tamen cōpatimur vt & conglorificemur.* Plura. cap. 34.

Veritas. Matt. 27. 32. *Exeuntes autē inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem: hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius.* Marc. 15. 21. *Et angariauerunt pratereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, vt tolleret crucem eius.*

CAPVT LIII.

Venit in Golgatha locum Caluariæ, & datur illi vinum cum felle mixtum ad bibendum.

Prophetiae. Psalm. 68. 22. *Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto.* Ierem. 2. 21. *Ego autem plantaui te vineam electam omne semen verum: quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena?* Thren. 3. 19. *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthij & fellis.* Habac. 2. 15. *Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, & inebrians vt aspiciat nuditatem eius.*

Veritas. Matth. 27. 33. 34. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgatha quod est Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum, & cùm gustasset noluit bibere.* Marc. 15. 22. 23. *Et perducūt illū in Golgatha locū: quod est interpretatū Caluariæ locus. Et dabāt ei bibere myrrhatū vinū & nō accepit.* Luc. 23. 36. *Illudebāt autē ei & milites accedē*

tes & acetum offerentes ei. Ioan. 19. 28. 29. *Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio, cum ergo esset positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit: consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.*

CAPVT LIIII.

Iesus Christus crucifigitur.

FIGVRAE. 1. Abraham colligauit ligna in fasciculum & imposuit filium supra ipsum. Genes. 22. 9.

2. Loth in monte se saluum facere debuit. Genes. 19. 17.

3. Iacob in baculo suo transiit Iordanem. Genes. 32. 10. *Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam expleſti seruo tuo, in baculo meo transiui Iordanem istum; & nunc cum duabus turmis regredior.* Christus cum Iudæis & Gentibus in patriam suam cœlestem reuertitur.

4. Immaculatus verus agnus paschalis [illegible] die mẽsis offertur. Exod. 12. 3. 4. 5. 6. 7. Illa aſſatio agni secundùm D. Iustinum in dialogo cum Triphone Iudæo, etiam habuit formam crucis Christi.

5. Moyses omnia iubetur facere secundùm exemplum ostensum sibi in monte. Exod. [illegible]

40. *Inspice, & fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est.*

6. Serpens æneus erigitur à Moyse quem aspicientes sanantur à morsibus serpentum. Numer. 21. 6. 7. 8. 9. *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum venerunt ad Moysen, atq; dixerunt: Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: Ora vt tollat à nobis serpentes. Orauitq; Moyses pro populo & locutus est Dominus ad eum: fac serpentem aneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet, Fecit ergo Moyses serpentem aneum & posuit eum pro signo: quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Ioan. 3. 14. *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis.*

7. Vt aquila prouocat ad volandum pullos suos. Deut. 32. 11. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum atq; portauit in humeris suis.* Aues volantes extensione alarum signum crucis faciunt.

8. Moyses cum Iosue pugnauit contra Amalec orans, expansis in modum crucis manibus id egit. Exod. 17. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

9. Dauid sedet in cathedra sapientissim⁹ quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingẽtos interfecit impetu vno. 2. Reg. 23. 8. *Hæc nomina fortiũ Dauid. Sedẽs in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus,*

miculus, qui octingentos interfecit impetu vno. Christus in cathedra crucis, occidit peccatum & mortem & spoliauit, & ligauit Dæmonem.

10. Viuus passer cum hyssopo & cocco & vermiculo alligatur ligno cedrino, quibus expiabit sacerdos leprosum. Leu. 14. 49. 50. 51. 52. 53.

11. Elias expandit se super puerum mortuum & reuiuiscit. 3. Reg. 17. 21. 22.

12. Similiter Elisæus. 4. Reg. 4. 34. 35.

13. Catulus leonis Iuda ascendit ad prædam ligans ad vitem asinam suam. Genes. 49. 9. 10. 11. *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt Leo, & quasi Leena, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum & ad vitem, ô fili mi asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vua pallium suum.* Christus ad lignum & vitem S. crucis ligat corpus suum, quod & in sanguine lauit proprio.

PROPHETIAE. Iob. 10. 14. 15. *Si peccauero, & ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? Et si impius fuero, vae mihi est: & si iustus, non leuabo caput saturatus afflictione & miseria.* Vers. 18. *Quare de vulua eduxisti me? qui vtinam consumptus essem ne oculus me videret.* Psalm. 21. 17. *Quoniam circumdederu*

dederunt me canes multi : concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos. Psalm. 26. 6. *In petra exaltauit me : & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.* Psalm. 37. 7. 8. 9. *Miser factus sum, & curuatus sum vsq; in finem : tota die contristatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea. Afflictus sum & humiliatus sum nimis : rugiebam à gemitu cordis mei.* Psalm. 62. 9. *Adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua.* Psalm. 68. 5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis, confortati sunt super me inimici mei iniustè, quæ non rapui, tunc exoluebam.* Psalm. 88. 45. 46. *Destruxisti eum ab emundatione : & sedem eius in terram collisisti. Minorasti dies temporis eius, perfudisti eum confusione.* Psalm. 73. 12. *Deus autem rex noster ante secula : operatus est salutem in medio terræ.* Quod autem Ierusalem sit medium terræ docet locus Ezech. 5. 5. 6. *Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Ierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras. Et contempsit iudicia mea, vt plus esset impia quàm gentes, & præcepta mea vltrà quàm terræ, quæ in circuitu eius sunt; iudicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt.* Ab oriente enim cingitur Asia. Ab occidente Europa. A meridie & Austro Libia & Africa. A septẽtrione Scytia, Armenia & Perside, &cunctis põti nationibus. Cant. 1. 6. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi*

pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Christus in meridie cubat in cruce. Cant. 2. 3. 4. *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios, sub umbra illius quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Cant. 8. 5. *Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? sub arbore malo suscitauite: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Isai. 49. 6. *Et dixit: parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israël conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ.* Ierem. 49. 16. *Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui: qui habitas in cauernis petræ & apprehendere nitens altitudinem collis: cum exaltaueris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Thre. 1. 3. *Migrauit Iudas propter afflictionem & multitudinem seruitutis: habitauit inter gentes, nec inuenit requiem; omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.* Abacuc. 3. 4. 5. 6. *Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors. Et ingredietur diabolus ante pedes eius. Stetit & mensus est terram. Aspexit & dissoluit gentes, & contriti sunt montes sæculi. Incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Zach. 9. 11. *Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Zach. 13. 6. 7. *Et dicent*

dicetur ei. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, & dispergentur oues: & conuertam manum meam ad paruulos. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur, & deficient: & tertia pars relinquetur in ea.

Veritas. Matth. 20. 19. Et tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Ibid. cap. 26. 2. Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. Ioan. 3. 14. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis. Ibidem capit. 8. 28. 29. Dixit ergo eis Iesus: cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil: sed sicut docuit me Pater, hæc loquor, & qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Capit. 12. 31. 32. 33. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum (hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.) Matthæi 27. 35. Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius sortem mittentes: vt impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Marc. 15. 24. 25. Et

crucifigentes eum diuiserunt vestimenta eius mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum. Luc. 23. 33. *Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum: & latrones, vnum à dextris & alterum à sinistris.* Ioan. 19. 17. 18. *Bajulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraicè autem Golgatha: vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum.* Actor. 2. 36. *Certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Ibidem capit. 4. 10. *Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël: quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc ipse astat coram vobis sanus.* 1. Corin. 1. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Ibidem capit. 2. 2. *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Vers. 8. *Quem nemo principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 2. Corint. 13. 4. *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo: sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis.* Galat. 2. 19. *Ego enim per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam: Christo confixus sum cruci.* Ibid. cap. 3. 1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum*

rum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? Ephes. 2. 14. 15. 16. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem maceriæ soluens, immicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Philip. 2. 9. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Colos. 1. 18. 19. 20. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ,* &c. vt fol. 175. Ibidem cap. 2. 13. 14. 15. *Et vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo donans vobis omnia delicta: delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & exspolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Hebr. 12. 1. 2. *Ideoq; & nos tantùm habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atq; in dextera sedis Dei sedet.* Apocal. 11. 8. *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Vide plura tit. Crucifigo, & tit. Crux. in Thes. Bibl. Ex cruce inuitat nos ad se, Matt. 10. 38. 39. *Et qui non*

accipit

accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam suam, perdet illam; & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Ibidem cap. 11. 28. 29. 30. *Venite ad me omnes,* &c. vt fol. 238. Capit. 16. 24. 25. 26. *Tunc Iesus dixit discipulis suis: si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Similia Marc. 8. 34. 35. 36. Et Luc. 9. 23. 24. 25. Qui addit quotidie crucem tollendam. Ibid. capit. 14. 26. 27. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.*

CAPVT LV.

Christus pendet inter duos latrones.

FIGVRAE. Iustus Ioseph inter duos malefactores in carcerem mittitur. Genes. 39. 20. *Tradiditq; Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus.* Vide & Genesis caput 40. 1. 2. 3. 4.

PROPHETIAE. Isai 53. 12. *Ideo dispertiam*

riam ei plurimos: & fortium diuidet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.

Veritas. Matt. 27. 44 *Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Marc. 15. 27. 28. *Et cum eo crucifigunt duos latrones: vnum à dextris & alium à sinistris eius. Et impleta est scriptura, quæ dicit: & cum iniquis reputatus est.* Luc. 23. 32. 33. *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum: & latrones, vnum à dexteris, & vnum à sinistris.* Ioan. 19. 18. *Vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum.*

CAPVT LVI.

Titulus causæ Christi mortis imponitur cruci.

Figvrae. 1. Samson moriens plures occidit quàm viuus, sic Christus hoc titulo Iudæos. Iud. 16. 30. *Samson ait: Moriatur anima mea cum Philistiim, concussisq; fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat: multoq; plures interfecit moriens, quàm ante viuus occiderat.*

2. Nunc clangor victoriæ regis in Iacob. Num. 23. 31.

Prophetiae. 3. Psalm. 2. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Ego autem constitutus sum rex ab eo*

super

super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Cùm exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo. Psal. 95. 10. vt suprà cap. 5. Isai. 19. 20. *Erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti, clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem & propugnatorem, qui liberet eos.* Sapient. 10. 13. 14. *Hæc (*sapientia scilicet*) iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditq; cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant; & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Hoc titulo operiuntur omnes libri prophetarum hactenus signati. Isai. 29. 11. 12. *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti litteras, dicent: lege istum. & respondebit: non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, dicetúrq; ei: lege: & respondebit: Nescio litteras.* Ierem. 32. 10. 11. 12. 13. 14. *Et scripsi in libro, & signaui, & adhibui testes: & appendi mercedem*

genium

gentum in statera. Et accepi librum possessionis signatum, & stipulationes, & rata, & signa forinsecus. Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filij Maasiæ in oculis Hanameël patruelis mei, in oculis testium, qui scripti erant in libro emptionis, & in oculis omnium Iudæorum qui sedebant in atrio carceris, & præcepi Baruch coram eis, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël. Sume libros istos, librum emptionis hunc signatum, & librum hunc, qui apertus est, & pone illos in vase fictili vt permanere possint diebus multis. Dan. 12. 9. Et ait: vade Daniel, quia clausi sunt, signatiq; sermones vsq; ad præfinitum tempus. Apoc. 5. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Et nemo poterat neq; in cælo neq; in terra, neq; subtus terram aperire librum, neq; respicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum. Et vnus de senioribus dixit mihi. Ne fleueris: ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, agnũ stantem tãquam occisum, habentẽ cornua septem, & oculos septem: qui sunt septẽ spiritus Dei, missi in omnem terrã: & venit & accepit de dextera sedentis in throno librum. Et cùm aperuisset librum, quatuor animalia & viginti quatuor seniores

cecide-

ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: & cantabant canticum nouum dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes: & regnabimus super terram. Qui etiam post passionem suam aperit discipulis scripturas. Luc. 24. 27. *Et incipiens à Moyse, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Vers. 32. *Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Cauendum ne simus huius regis & tituli desertores ne Iob. 13. 16. scribat contra nos amaritudines.

VERITAS. Matth. 27. 37. *Et imposuerunt super caput eius, causam ipsius scriptam. Hic est Iesus rex Iudæorum.* Marc. 15. 26. *Et erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudæorum.* Luc. 23. 38. *Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis, Hic est rex Iudæorũ.* Ioan. 19. 19. 20. 21. 22. *Scripsit autem & titulũ Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope erat ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: noli scribere, rex*

re, Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.

CAPVT LVII.

Vestes Christi diuiduntur.

FIGVRAE. 1. Adam nudus in paradiso, cum peccauit. Genes. 3. 7. *Et aperti sunt oculi amborum: cumq; cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus & fecerunt sibi perizomata.* Vers. 10. 11. *Qui ait: vocem tuam audiui in paradiso: & timui, eo quòd nudus essem, & abscondi me, cui dixit: Quis enim indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Nuditas hæc, Christi in cruce pendentis nuditate tegitur.

2. Fratres Ioseph, eius interfecti, atq; in cisternam missi vestem sanguine tinctam, patri miserunt. Genes. 37. 31. *Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt: mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent; hanc inuenimus, vide vtrum tunica filij tui sit, an non.*

3. Idem Ioseph ob amorem castitatis spoliatur pallio ab vxore Putipharis. Gen. 39. 12. *Et illa apprehensa lacinia vestimenti eius, dicebat: dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras.*

4. Saulus primus Rex Israëlis prius spoliatur, postea suspenditur super muros ciuitatis

Bethsan. 1. Reg. 31. 10. 11. 12. 13. *Et posuerunt arma eius in templo Astaroth, corpus verò eius suspenderunt in muro Bethsan. Quod cùm audissent habitatores Iabes Galaad, quæcunq; fecerant Philistæim Saul, surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul & cadauera filiorum eius de muro Bethsan, venerunq; Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi: & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.*

5. Castissima Susaña coram senibus iniquis iudicibus, denudatur, & discooperitur. Dan. 13. 32. *At iniqui illi iusserunt vt discooperirentur (erat enim cooperta) vt vel sic satiarentur decore eius.*

PROPHETIA. Psalm. 21. 18. 19. *Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

VERITAS. Matth. 27. 35. *Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius sortem mittentes, vt impleretur quod dictum est per prophetam dicentem. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Marc. 15. 24. *Et crucifigentes eum, diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.* Luc. 23. 34. *Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes verò vestimenta eius miserunt sortes.* Ioan. 23. 24. *Milites ergò cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius & fecerunt quatuor partes, vnicuique*

vnicuiq; militi partem & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum: Dixerunt ergo ad inuicem. Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit, vt scriptura impleretur, dicens. Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

CAPVT LVIII.

De iniurijs & irrisione Christo in cruce pendenti illatis.

FIGVRAE. 1. Noë vini hausţu inebriatus, nudus dormiens in tabernaculo, à filio illuditur, & eius nuditas alijs fratribus detegitur, vnde maledicitur à patre, Genes. 9. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.

2. Michol ridet Dauidem ante arcam Dei nudatum saltantem, & eandem Deus sterilitate affligit. 2. Reg. 6. 20. 21. 22. 23.

3. Dauid maledicitur à Semei 2. Reg. 16. 7. vt suprà. cap. 45. qui postea iussu Salomonis occiditur ex præcepto Dauidis. 3. Reg. 2. 46.

4. Elisæus ascendens irridetur à pueris, qui postea ab vrsis occiduntur. 4. Reg. 2. 23. 24. *Ascendit autem inde in Bethel: cumq; ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Ascende calue, ascende calue. Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressiq; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.*

PROPHETIAE. Iob. 16. 1. 2. 3. *Respondens autem Iob, dixit, audiui frequenter talia, consolatores onerosi omnes vos estis. Nunquid habebunt finem verba ventosa? aut aliquid tibi molestum est si loqueris?* Ibidem cap. 19. 21. 22. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Psalm. 3. 3. *Multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo eius.* Psalm. 21. 7. 8. 9. *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput. Speranit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum.* Vers. 13. 14. *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Psalm. 37. 12. 13. 14. 15. *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt. Et qui iuxta me erant, de longè steterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.* Vers. 20. 21. *Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: multiplicati sunt qui oderunt me iniquè. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.* Psalm. 63. 4. 5. *Qui*

exacuerunt vt gladium linguas suas : intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum. Psalm 68. 8. 9. 10. *Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrãtium tibi, ceciderunt super me.* Psalm. 73. 4. *Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ.* Psalm. 108. 25. *Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & mouerunt capita sua.* Ierem. 7. 4. *Nolite confidere in verbis mẽdacij, dicentes: tẽplum Domini, tẽplum Domini, templum Domini est.* Thren. 2. 15. 16. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Ierusalem: Hæccine est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ? Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Deuorabimus: en ista est dies, quam expectabamus: inuenimus, vidimus.* Osee. 13. 9. 10. 11. *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum. Vbi est rex tuus? maximè nunc saluat te in omnibus vrbibus tuis: & iudices tui, de quibus dixisti. Da mihi regem, & principes. Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* Alludit ad 1. Reg. 8. 5. vbi petiuerunt regem, & Ioan. 19. 15. vbi non habent regem nisi Cæsarem. Amos. 6. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contri-*

tione Ioseph. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium: & auferetur factio lasciuientium. Iurauit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum; detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatem cum habitatoribus suis. Quòd si reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ipsi morientur. Et tollet eum propinquus suus, & comburet eum, vt efferat ossa de domo: & dicet ei, qui in penetralibus domus est. Numquid adhuc est penes te? Et respondebit: finis est. Et dicet ei: Tace, & non recorderis nominis Domini. Quia ecce Dominus mandabit, & percutiet domum maiorem ruinis, & domum minorem scissionibus.

VERITAS. Matt. 20. 19. Et tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Luc. 2. 34. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël: & in signum cui contradicetur. Matt. 27. 39. 40. 41. 42. 43. 44. Praeterueuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reaedificas: salua temetipsum, si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes, cum scribis, & senioribus, dicebant: alios saluos fecit, semetipsum non potest saluum facere; si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum: dixit enim, quia Filius Dei sum. Idipsum autem & latro

& latrones, qui crucifixi erant cum eo improperabant ei. Similia Marc. 15. 29. 30. 31. 32. Luc. 23. 35. 36. *Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei.* Vers. 39. *Vnus autem de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens. Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos.* Vers. 40. 41. *Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neq; tu times Deum quod in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.*

CAPVT LIX.

De primo verbo à Christo prolato in cruce. Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

FIGVRAE. 1. Verus Ioseph excusat peccatum fratrum suorum. Genes. 50. 16. 17. 18. 19. 20.

2. Moyses in vertice montis orat pro populo idololatrico, vt Deus illis ignoscat. Exod. 32. 7. 8. 9. 10. 11.

3. In ore leonis mortui inuenitur dulcissimus fauus mellis. Iud. 14. 8. 9. In ore Christi sermo omni acceptione dignus, quia Christus venit saluare peccatores. 1. Timoth. 1. 15. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.*

4. Exercet actum summi sacerdotis, qui est offerre, & orare pro sua (quam non habuit)

& populi ignorantia, & peccato. Hebr. 5. 1. 2. 3. *Omnis namq; pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Vers. 7. 8. 9. 10. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, qui posse illum saluum facere à morte cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro suareuerentia. Et quidē cùm esset Filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis eternæ, appellatus à Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech.* Vide etiam cap. 9. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. vt suprà fol. 185. & vers. 27. 28. *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundò sine peccato apparebit expectantibus se in salutem.*

5. Iob orat pro illusoribus suis. Iob 42. 7. 8. 9. 10.

PROPHETIAE. Psalm. 44. 3. *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.* Psal. 108. 4. 5. 6. *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. Et posuerunt aduersus me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea. Constitue super eum peccatorem: & Diabolus stet à dextris eius.*

eris eius. Isai. 53. 12. *Ideo dispertiam ei plurimos: & fortium diuidet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Vbi hoc quasi præclarissimo facto concludit passionem. Ierem. 8. 20. 21. *Transiit messis, finita est æstas, & nos saluati non sumus, super contritione filiæ populi mei contritus sum, & contristatus, stupor obtinuit me.* Ion. 4. 2. *Et orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, nunquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharsis: scio enim quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.*

Veritas. Luc. 23. 34. *Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes verò vestimenta eius, miserunt sortes.*

CAPVT LX.

De secundo verbo. Hodie mecum eris in paradyso.

Figvrae. 1. Solus Ruben nititur liberare Ioſephum. Geneſ. 37. 21. *Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat,* &c.

2. Ex omnibus Aegyptijs ſolus pincerna Pharaonis commendat Ioſephum. Geneſ. 41. 9. *Tunc demum reminiſcens pincernarum magiſter ait: Confiteor peccatum meum,* &c.

3. Ioseph in carcerem cum duobus maleficis coniectus, alteri prædicit fore vt euaderet, & gratiæ Pharaonis restitueretur, alteri deinde quia capite damnabitur. Genes. 40. 12. 13. 14.

4. Vita pendet ante malum latronem, cui non credit. Deut. 28. 66. *Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.*

5. Congregati ad Iephte viri inopes, & latrocinantes. Iud. 11. 3. *Quos ille fugiens atq; detestans, habitauit in terra Tob. Congregatiq; sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quasi principem sequebantur.*

6. Confugiunt ad Dauid omnes in angustia constituti. 1. Reg. 22. 1. 2. 3.

7. Dauid Miphiboseth filio Ionathæ promittit gratiam. 2. Reg. 9. 6. 7. 8.

8. Daniel solus inuenitur: qui agnoscat & liberet innocentem Susannam. Dan. 13. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51.

PROPHETIAE. Psalm. 44. 3. *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternũ.* Hier. 18. 20. 21. *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? Recordare quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in fame, & deduc eos in manus gladij: fiant vxores eorum absq; liberis, & viduæ: &*

viri eorum interficiantur morte, iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio. Ibidem cap. 39. 17. 18. *Et liberabo te in die illa, ait Dominus: & non tradêris in manus virorum, quos tu formidas: Sed eruens liberabo te, & gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.*

Veritas. Matth. 27. 44. Marc. 15. 32. *Christus rex Israël descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei.* Intelligitur verò solus malus latro, vt magis patet ex D. Luc. 23. 39. 40. 41. 42. 43. *Vnus autem de his, qui pendebant latronibus blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neq; tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso.* Hic enim quasi summus theologus fit in cruce, secundùm id psalm. 93. 11. 12. 13. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Beatus homo, quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum. Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea.*

CAPVT

CAPVT LXI.

De tertio verbo ad matrem & D. Ioannem.

FIGVRAE. 1. Noëmi vidua mortuis inter Israëlitas filijs suis, redijt in patriam Bethlehem, & salutata ab alijs noluit vocari Noëmi, id est pulchra, sed Maria, id est, amara, quia amaritudine plena esset. Ruth. 1. 18. 19. 20. 21.

2. Mater filiorum Machabæorum bono animo ferebat mortem filiorum propter spem quam in Domino habebat. 2. Mach. 7. 20. 21. *Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem, quam in Deum habebat: singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & femineæ cogitationi masculinum animum inserens.*

PROPHETIAE. Iob. 30. 16. *Nunc autem in memetipso marcessit anima mea, & possident me dies afflictionis.* Vers. 27. 28. *Interiora mea efferbuerunt absq; vlla requie, præuenerunt me dies afflictionis. Mœrens incedebam, sine furore, consurgens, in turba clamabam.* Isai. 54. 6. 7. 8. *Quia vocauit te Dominus, &c.* vt fol. 180. & vers. 11. 12. 13. 14. *Pauperculam tempestate conuulsa, absq; vlla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Vers.*

uersos filios tuos doctos à Domino: & multitudinem pacis filijs tuis. Et in iustitia fundaberis: recede procul à calumnia, quia non timebis: & à pauore, quia non appropinquabit tibi. Thren. 1. 9. Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. Vers. 13. De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me: expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. Vers. 16. 17. Idcirco ego plorans: & oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me consolator, conuertens animam meam, facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam: mandauit Dominus aduersum Iacob in circuitu eius hostes eius: facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos. Vers. 20. 21. Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subuersum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum, foris interficit gladius & domi mors similis est. Audierunt quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt quoniam tu feciſti: adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.

Veritas. Luc. 2. 34. 35. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Et

tuam

tuam ipsius animam pertransibit gladius vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Ioan. 19. 25. 26. 27. *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dixit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus: Deinde dixit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.* Ioannes autem verus est filius, qui fecit voluntatem Christi, & Beatæ Virginis.

CAPVT LXII.

De quarto verbo in cruce, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?

FIGVRAE. 1. Etsi visus derelictus *Ioseph* ab omnibus, Deus tamen illum in carcere non dereliquit. Sapien. 10. 13. 14 *Hic vendentem iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberauit eum: descendit q; cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.*

2. Iob. 19 7. 8. 9. 10. 11. *Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet, vociferabor, & non est qui iudicet. Semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit. Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite*

meo. Destruxit me vndiq;, & pereo, & quasi ea nulsæ arbori abstulit spem meam. Iratus est contra me furor eius, & sic me habuit quasi hostem suum. Ibidem capit. 30. 20. 21. 22. 23. 24. Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè. Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti. Veruntamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam: & si corruerint ipse saluabis.

Prophetiae. Psalm. 21. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Deus, Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas, laus Israël. In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labijs, & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum. Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ. In te proiectus sum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me: quoniam tribula-

tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me. Vers. 20. 21. 22. 23. Tu autem Domine ne longaueris auxilium tuum à me; ad defensionem meam conspice: Erue à framea Deus animam meam & de manu canis vnicam meam. Salua me ex ore leonis & à cornibus vnicornium humilitatem meam, Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te, Psalm. 68. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam. Infixus sum in limo profundi: & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniustè; quæ non rapui tunc exoluebam; Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Non erubescant in me qui expectant te Domine, Domine virtutum. Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israël. Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis & pere-

& peregrinus filiis matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me. Vers. 20. 21. Tu scis improperium meum & confusionem meam, & reuerentiam meam. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum, & miseriam. Psalm. 87. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorū non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis: & in vmbra mortis. Super me confirmatus est furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me. Longè fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia. Clamaui ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas. Isai. 25. 7. 8. 9. 10. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra: Quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius. Quia requiescet manus Domini in monte isto: & triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur paleæ in plaustro. Isai. 49. 14. 15. 16. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus obli-

nus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.

VERITAS. Matth. 27. 46. 47. 48. 49 *Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli lamma Sabacthàni, hoc est Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste. Et continuò currens vnus ex eis accepta spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cateri verò dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum.* Marc. 15. 34. 35. 36. *Et hora nona exclamauit Iesus voce magna, dicens: Eloi, Eloi lamma Sabacthàni? quod est interpretatùr: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat. Currens autem vnus, & implens spongiam aceto, circumponensq; calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite videamus si veniat Elias ad deponendum eum.*

CAPVT LXIII.

De quinto verbo Christi in cruce, Sitio, cui præbetur potus.

FIGVRAE. 1. Samson stratis Philistæis sitit. Iud. 15. 15. 16. 17. 18. 19.

2. Dauidi sitienti cùm duo milites cum periculo vitę, & ex cisterna Bethlehem tulissent aquam, noluit bibere. 2. Reg. 23. 15. 16. 17.

3. Io

3. Iubentur Iudæi fasciculum hyssopi tingere in sanguine agni Paschalis, & aspergere superliminare, & vtrumq; postem, ne egrediatur domũ percussor & exterminator. Exo. 12. 22. 23. 24.

4. Hyssopus in mundatione leprosi circũligatus ligno cedrino cum vermiculo adhibetur cum sanguine passeris. Leuit. 14. 49. 50. 51. 52. 53. vt suprà capite 54.

5. Hyssopo tincto in aquã & cineres vaccæ rufæ, mundus mundat immundum aspergendo. Num. 19. 17. 18. 19. 20. Deut. 32. 33. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.*

Prophetiae. Psal. 21. 16. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me.* Psalmo 68. vers. 21. 22. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum, & miseriam: Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui cõsolaretur, & non inueni. Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto.* Psalm. 101. 4. 5. 6. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt. Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum. A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.* Ierem. 2. 21. *Ego autẽ plantaui te vineã electam, omne semen verum: quomodo ergo conuersa es mihi in prauã vinea aliena?* Thren. 3. 15. *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.* Vers. 19. *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij & fellis.*

VERITAS. Matth. 27. 48. *Et continuò currens vnus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere.* Marc. 15. 36. *Currens autem vnus, & implens ſpongiam aceto, circumponensq; calamo, potum dabat illi dicens: Sinite, videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum.* Ioan. 19. 28. 29. 30. *Poſtea ſciens Ieſus quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur ſcriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato capite, tradidit ſpiritum.* Sicſitit Chriſtus, vt potet nos vino compunctionis: Sic Synagoga dat acetum Chriſto ſitienti, quam de petra aqua potauit, & melle ſaturauit. Numer. 20. 10. 11. Pſalm. 80. 17. *Et cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra, melle ſaturauit eos.* 1. Corinth. 10. 4. *Et omnes eundem potum ſpiritalem biberunt (bibebant autem de ſpirituali, conſequente eos, petra: petra autem erat Chriſtus)*

CAPVT LXIV.

De ſexto Chriſti verbo. Conſummatum eſt.

FIGVRAE. 1. Compleuit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat. Geneſ. 2. 1. 2.

2. Mortuo ſummo ſacerdote homicida profugus reuertitur in terram ſuam. Numer. 35. 31. 32.

3. Miſſ

3. Misso Iona in mare sedatur tempestas. Ion. 1. 12. *Tollite me & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Ver. 15. 16. *Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare à feruore suo. Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.*

Prophetiae. Sap. 4. 13. *Consummatus in breui explent tempora multa.* Isai. 10. 23. *Consummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Vers. 25. *Adhuc enim paululum modicumq; & consummabitur indignatio, & furor meus super scelus eorum.* Ibidem cap. 25. 8. *Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra: quia Dominus locutus est.* Thren. 4. 22. *Completa est iniquitas tua filia Sion, non addet vltrà vt transmigret te: visitauit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua.* Dan. 9. 24. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt cõsummaretur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum.* Osee. 13. 14. *De manu mortis libera eos, de morte redimam eos, & mors tua ô mors, morsus ero tuus inferne: consolatio abscondita est ab oculis meis.*

VERITAS. Matth. 23. 32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Ioan. 11. 51. 52. *Hoc autem à semetipso non dixit: sed cùm esset pontifex anni illius, prophetauit quod Iesu moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Ioan. 16. 11. *De iudicio autem: quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Ibidem cap. 19. 30. *Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.* Apocal. 16. 17. 18. *Exiuit vox magna de templo à throno, dicens: Factum est. Et facta sunt fulgura, & motus, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis non fuit ex quo homines fuerunt supra terram, talis terræ motus sic magnus.* &c. Templum est corpus Christi. Ioan. 2. 19. 20. 21. 22. Thronus crux Christi in qua fuit inscriptio regni sui. De terræmotu vide infrà. cap. 67.

CAPVT LXV.

De vltimo verbo Christi. Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

FIGVRAE. 1. Noë dimisit columbam quæ rediit paulo post cum ramo viridantis oliuæ, misericordiæ, & pacis signo.

2. Elias cupit tolli animam suam. 3. Reg. 19. 4. *Et perrexit in desertum, viam vnius diei, cumq; venisset, & sederet subter vnam iuni-*

perum

perum, petiuit animæ suæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neq; enim melior sum, quàm patres mei.

Prophetiae. Psalm 30. 6. *In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.* Psalm. 141. 8. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me exspectant iusti, donec retribuas mihi.* Tob. 4. 6. *Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.* Isa. 53. 10. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuũ, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Ionæ. 2. 8. *Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea ad templũ sanctum tuum.* Ionæ. 4. 3. *Et nunc Domine, tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors quàm vita.*

Veritas. Luc. 23. 46. *Et clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: & hæc dicens, expirauit.*

CAPVT LXVI.

Christus Dominus moritur.

Figvrae. 1. Abel iustus occisus inuidia fratris sui Cain. Genes. 4. 8. *Dixitq; Cain ad Abel fratrẽ suum: Egrediamur foras. Cumq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.*

2. Immolatur agnus paschæ ad vesperum, Exod. 12. 6. *Et seruabitis eum vsq; ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorum Israël vsq; ad vesperam.*

3. Alter agnorum immolatur vesperi iugiter. Exod. 29. 38. *Hoc est quod facies in altari: agnos anniculos duos per singulos dies iugiter.* Num. 28. 3. 4. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: Vnum offeretis mane & alterum ad vesperum.*

PROPHETIAE. Psalm. 30. 11. *Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sunt.* Eccles. 29. 20. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: dedit enim pro te animam suam.* Isai. 25. 7. 8. 9. 10. vt suprà cap. 63. Ibid. cap. 53. 8. 9. 10. 11. 12. *De angustia, & de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium: propter scelus populi mei percussi eum,* &c. vt fol. 73. Thren. 5. 15. *Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccauimus.* Dan. 9. 26. *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.*

VERITAS. Matth. 27. 50. *Iesus autem iterum*

rum clamans voce magna, emisit spiritum. Luc. 23. 46. Et clamans voce magna Iesus, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, & hæc dicens exspirauit. Ioan. 19. 30. Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Hebr. 5. 7. 8. 9. 10. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum, qui possit saluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia: & quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech.

CAPVT LXVII.

De his quæ ante & post mortem Christi acciderunt, vt de tenebris, terræmotu, resurrectione mortuorum, & luctu multorum.

FIGVRAE. 1. Fratres Ioseph illum adorant. Genes. 42. 6. Et Ioseph erat princeps in terra Ægypti, atq; ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumq; adorassent eum fratres sui. Vers. 21. 22. Locuti sunt ad inuicem. Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius dum deprecaretur nos, & non audiuimus: Idcirco venit super nos ista tribulatio. E quibus vnus Ruben, ait: Nunquid non dixi vobis: nolite peccare in puerum: & non audistis me? en sanguis eius exquiritur. In terram ante illum

corruũt. Gen. 44. 14. *Primusq3 Iudas cũ fratribus ingressus est ad Ioseph (necdum enim de loco abierat) omnesq3 ante eum pariter in terram corruunt.* Non possunt illi respondere præ nimio terrore. Gen. 45. 3. *Et dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph: adhuc pater meus viuit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti.*

2. Moyses producit tenebras Aegyptiacas. Exod. 10. 21. 22. 23. *Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum: & sint tenebræ super terram Ægypti, tam densæ, vt palpari queant. Extenditq3 Moyses manum in cælum: & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat: vbicunq3 autem habitabant filij Israël, lux erat.* Psalm. 104. 27. 28. *Posuit in eis verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham. Misit tenebras, & obscurauit: & non exacerbauit sermones suos.* Sap. 17. 2. Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.

3. Naaman Syrus cognoscit Deum Israël. 4. Reg. 5. 15. *Reuersusq3 ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo, venit, & stetit coram eo, & ait: Scio quòd non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantùm in Israël, obsecro itaq3 vt accipias benedictionem à seruo tuo.*

4. Nabuchodonosor agnoscit Deum Da-

nielis

nielis. Dan. 2. 47. *Loquens ergo rex, ait Danieli: Verè Deus vester Deus deorum est, & Dominus regum, & reuelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.*

5. Misso Iona in mare, est eius tempestas sedata, & viri timent Dominum. Ion. 1. 15. 16. *Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare: & stetit mare à feruore suo. Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.*

6. Luget Iuda & Ierusalem Iosiæ mortem. 2. Par. 35. 22. 23. 24. 25.

7. Montes Gelboê maledicuntur ob mortem Saulis. 2. Reg. 1. 21. *Montes Gelboë, nec ros, nec pluuia veniant super vos, neq; sint agri primitiarum: quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo.*

Prophetiae. Iob. 5. 14. *Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie.* Psalm. 17. 5. 6. 7. 8. *Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferi circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui: Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus in conspectu eius, introiuit in aures eius. Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt quoniã iratus est eis.* Psalm. 81. 5. *Nescierunt: neq; intellexerunt, in tenebris ambulant: mouebuntur om-*

nia

nia fundamenta terræ. Isai. 26. 19. *Viuent mortui tui interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere: quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.* Ibidem cap. 51. 1. 2. *Audite me qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam lacus, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.* Capit. 65. 1. 2. *Quæsierunt me qui ante non interrogabant, inuenerunt qui non quæsierunt me, dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populũ incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Ierem. 6. 26. *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super vos.* Ibid. cap. 15. 9. *Infirmata est quæ peperit septem, defecit anima eius: occidit ei sol, cùm adhuc esset dies: confusa est, & erubuit: & residuos eius in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum, ait Dominus.* Thren. 5. 15. *Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster.* Ezech. 32. 7. 8. *Et operiam, cùm extinctus fueris cælum, & nigrescere faciam stellas eius, solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cæli mœrere faciam super te: & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ.*

ait Dominus Deus. Ezech. 37. 12. 13. 14. *Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus: & inducam vos in terram Israël. Et scietis quia ego Dominus, cùm aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris populo meus: & dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis, & requiescere vos faciam super humum vestram: & scietis quia ego Dominus locutus sum & feci, ait Dominus Deus.* Amos. 8. 9. *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Zach. 12. 10. 11. 12. *Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Maggeddon. Et planget terra: familiæ & familiæ seorsum: familiæ domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum.* Ibidem cap. 14. 6. 7. *Et erit in die illa: Non erit lux, sed frigus & gelu. Et erit dies vna quæ nota est Domino, non dies neq; nox: & in tempore vesperi erit lux.*

Veritas. Matth. 27. 45. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam.* Vers. 51. 52. 53. 54. 55. 56. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsq; deorsum, & terra mota est, & petræ*

scissæ

scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatē, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè Filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Marc. 15. 33. *Et factâ hora sexta, tenebræ factæ sunt super totam terram vsq; in horam nonam.* Vers. 38. 39. 40. 41. *Et velum templi scissum est in duo, à summo vsq; deorsum. Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat. Erant autem & mulieres de longè aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome: & cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ quæ simul cum eo ascenderant Ierosolymam.* Luc. 23. 44. 45. 46. 47. 48. 49. *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsq; in horam nonam. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est medium. Et clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum*

lum istud, & videdant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longè: & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa hæc videntes. Ioan. 19. 25. *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* De terræmotu vide etiam ex Apoc. 16. 17. supra caput 64. Noti quoque Christi à longè stant. Iob. 19. 13. *Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me.* Psalm. 37. 12. 13. *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt. Et qui iuxta me erant, de longè steterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates; & dolos tota die meditabantur.* Psalm. 87. 9. *Longè fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationē sibi, traditus sum, & non egrediebar.* Thren. 1. 16. *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me consolator, conuertens animam meam: facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.* Luc. 23. 49. *Stabant autem omnes noti eius à longè: & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa hæc videntes.*

* * *

CAPVT

CAPVT LXVIII.

Non franguntur crura Iesu; sed latus eius lan-
cea aperitur.

FIGVRAE. 1. Cùm obdormiuit Adam, tollit Deus vnam de costis eius & formauit Euam: sic aperto Christi latere formatur Ecclesia. Genes. 2. 18. *Dixit quoq; Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Vers. 21. 22. 23. 24. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & replevit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam, dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Ephes. 5. 31. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.*

2. Noë discedente diluuio aperitur fenestra, in qua reliquæ animæ seruabantur, fenestram. Genes. 8. 6. 7. *Cumq; transissent quadraginta dies, aperiens Noë fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit coruum: qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram.*

3. Abraham vibrat gladiu in hircum Gen. 22. 13. *Leuauit Abraham oculos suos, vidit*

post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.

4. Ossa agni paschalis nõ frangenda. Exod. 12.46. *In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis.*

5. Flumina exeunt de vero paradiso. Gen. 2.10. *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.*

6. Sanguis vituli immolati funditur per altaris circuitum. Leuit. 1.5. *Immolabit q3 vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron Sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi.*

7. Iam verè vulneratus est propter iniquitates nostras. Isai. 53.5. Iam verus hæres vineæ eiectus extra eam vulneratus est ab agricolis vineæ. Luc. 20.12. Quem ante vulneraue-runt in capite. Marc. 12.4. Dum plectentes spineam coronam eam illi imponunt, & arundine feriunt, vt supra capite 44. docuimus.

Prophetiae. Iob. 16.14.15. *Circumdedit me lanceis suis conuulnerauit lumbos meos. non pepercit, & effudit in terra viscera mea. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.* Psal. 68.27. *Quoniam quem tu percussisti: persecutisunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Psal. 101.7. *Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nicticorax in domicilio.* Pellicanus pullos suos sanguine suo pascit. Cnat. 2.8. *Sicut*

malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Eccl. 33. 17. In benedictione Dei & ipse sperauit & quasi qui vindemiat repleuit torcular. Isai. 12. 2. Ecce Deus saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo; quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Ibidem cap. 48. 21. Non sitierunt in deserto, cùm educeret eos: aquam de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ. Cap. 51. 1. 2. Audite me qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram unde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua precisi estis. Attendite ad Abraham patrē vestrum, & ad Sarā, quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Thren. 1. 2. Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius: non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius: omnes amici eius spreuerūt eam, & facti sunt ei inimici. Ver. 15. Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocauit aduersum me tempus, vt contereret electos meos: torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda. Zach. 12. 10. Et effundam super domum David, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt dolere solet in morte primogeniti.

VERITAS. Ioan. 7. 37. 38. 39. In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui

dit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Ibidem cap. 19. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. Iudæi ergo, (quoniam parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites; & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea eius latus aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius: Et ille scit quia vera dicit: vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: videbunt in quem transfixerunt. Apocal. 7. 14. 15. 16. 17. Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & seruient ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos: non esurient, neq; sitient amplius, nec cadet super illos sol, neq; vllus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Consummatus est autem celeriter iuxta id. Exod. 12. 11. *Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter: est enim Phase (id est transitus) Domini.* Marc. 15. 44. 45. *Pilatus autē mirabatur si iam obisset. Et accersito (centurione) interrogauit eum si iam mortuus esset. Et cùm cognouisset à centurione donauit corpus Ioseph.*

CAPVT LXIX.

Christus Dominus de cruce deponitur, & sepelitur.

FIGVRAE. 1. Ioseph mittitur in cisternam veterem quæ non habet aquam. Genes. 37. 23. 24. *Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari, & polymita: miserunt que eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.*

2. Ibidem mittitur in carcerem, Genes. 39. 19. 20. *His auditis Dominus & nimium credulus verbis coniugis, iratus est valdè, tradidit que Ioseph in carcerem, vbi vincti Regis custodiebantur & erat ibi clausus.*

3. Idem in Aegypto mortuus, magno cum honore, & aromatibus sepelitur. Genes. 50. *Mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo Ægypto.*

4. In festo expiationis mundabantur dæi, quod Sabbatum requietionis est. Leui

29. 30. 31. 32. 33. 34. *Eritq; vobis hoc legitimum sempiternum.*

5. Aaron completis hostijs pro peccato, & holocaustis pacificis, descendit. Leuit. 9. 22. *Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sicq; completis hostijs pro peccato, & holocaustis, & pacificis, descendit.*

6. Fortissimus Samson cùm plures moriens quàm viuus occidisset, sepelitur. Iud. 16. 30. 31.

7. Elias propter Iezabel abdidit se in spelunca expectans sermonem Domini vt egrederetur. 3. Reg. 19. 9. 10.

8. Abdemelech quia habuit figuram Iosephi ab Arimathea, curat Ieremiam in lacum missum. Ier. 38. 7. *Audiuit autem Abdemelech Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo regis quòd misissent Ieremiam in lacum: porrò rex sedebat in porta Beniamin.* Ier. 39. 16. 17. 18. *Vade, & dic Abdemelech Æthiopi, dicens. Hec dicit Dominus exercituum Deus Israël: ecce ego inducam sermones meos super ciuitatem hanc in malum, & non in bonum: & erunt in conspectu tuo in die illa. Et liberabo te in die illa, ait Dominus, & non tradêris in manus virorum, quos tu formidas: sed eruens liberabo te, & gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.*

Prophetiae. Deut. 21. 22. 23. *Quando peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo: non permanebit*

manebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem. Psal. 4. 9. 10. *In pace in idipsum dormiam, & requiescam; quoniam tu Domine singulariter in spe cõstituisti me.* Psalm. 15. 8. 9. 10. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsq; in finem.* Psalm. 37. 5. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Vers. 7. *Miser factus sum, & curuatus vsq; in finem: tota die contristatus ingrediebar.* Psalm. 142. 3. *Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meã. Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi.* Eccl. 38. 16. *Fili in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundùm iudicium cõtege corpus illius, & non despicias sepulturam illius.* Isai. 11. 10. *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Ibidem cap. 25. 10. v. supra cap. 62. Cap. 57. 1. 2. *Iustus perit & non est qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat, à facie enim*

malitiæ

malitiæ collectus est iustus. Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulauit in directione sua. Thren. 3. 53. 54. 55. 56. 57. *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Inundauerunt aquæ super caput meum: dixi: perij. Inuocaui nomen tuum Domine de lacu nouissimo. Vocem meam audisti: ne auertas aurem tuam à singultu meo, & clamoribus. Appropinquasti in die, quando inuocaui te: dixisti: ne timeas.*

Veritas. Matth. 27. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Cùm autem serò factum esset venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu, hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda. Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abijt: erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.* Marc. 15. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. *Erant autem & mulieres de longè aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome: & cùm esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Ierosolymã. Et cùm iam serò esset factum (quia erat parascene, quod est ante sabbatũ)*

venit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui ipse erat exspectans regnum Dei, & audacter introiit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur si iam obiisset. Et accersito centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset. Et cùm cognouisset à centurione, donauit corpus Ioseph. Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum involvit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti. Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph aspiciebant vbi poneretur. Luc. 23. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. Stabant autem omnes noti eius à longè: & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa hæc videntes. Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus, & iustus: hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ, quia expectabat & ipse regnum Dei. hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu: & deposituum involuit sindone, & posuit eum in monumento excisio, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et dies erat parasceues, & sabbatum illucescebat. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta: & sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum. Ioan. 19. 38. 39. 40. 41. 42. Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, (eo quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo & tulit corpus Iesu.

Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

CAPVT LXX.

De custodia sepulchri Domini.

FIGVRAE. 1. Cùm audissent Philistijm Sãsonem intrasse vrbem Gazam, ibiq; dormire, circumdederunt eum positis in porta ciuitatis custodibus. Iud. 16. 1. 2.

2. Satellites Saul custodiunt Dauidem in domo suà vt mane occidatur. 1. Reg. 19. 11.

3. Babylonij ad lacum Danielis aduoluunt lapidem. Dan. 6. 16. 17. *Tunc rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum. Dixitq; rex Danieli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te. Allatusq; est lapis vnus, & positus est super os laci: quem obsignauit rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.*

PROPHETIAE. Genes. 49. 9. *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Psalm. 9. 16. 17. *Exultabo in salutari tuo, infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt. In laqueo isto*

quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Cognoscetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Psal. 56. 7. *Laqueũ parauerunt pedibus meis & incurnuerũt animã meã. Foderunt ante faciẽ meam foueã: & inciderunt in eam.* Psal. 63. 6. 7. 8. *Subito sagittabunt eu, & non timebunt: firmauerũt sibi sermonẽ nequã. Narrauerunt vt absconderẽt laqueos: dixerunt, quis videbit eos? scrutati sunt iniquitates: defecerũt scrutãtes scrutinio, accedet homo ad cor altũ, & exaltabitur Deus. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorũ.*

VERITAS. Matt. 27. 62. 63. 64. 65. 66. *Altera autem die, quæ est post parascenen, conuenerunt principes sacerdotum & pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsq; in diem tertium: ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priori. Ait illis Pilatus: Habetis custodiã, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.*

CAPVT LXXI.

De descensu Christi ad limbum.

FIGVRAE. 1. Iacob descendere vult ad filium in infernum. Gen. 37. 35. *Congregatis autem cunctis liberis eius vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum.*

2. Moyses educens populũ Israëliticũ ex terra Ae-

ra Aegypti, diuisit virga sua mare rubrum, sicq; vniuersus populus sicco vestigio mare pertransijt: Pharao verò & omnes inimici eorum aquis submersi perierunt. Exod. 14. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.

3. Dauid in persecutione Saul fugit in speluncam Odollam. 1. Reg. 22. 1. *Abijt ergo Dauid inde, & fugit in speluncam Odollam. Quod cùm audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc.*

4. Idem Dauid iam latet in inferiori parte speluncæ, vbi præscindit oram chlamydis Saul silenter. 1. Reg. 24. 45.

Prophetiae. Gen. 49. 9. *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Iob. 17. 13. *Si sustinuero infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum.* Psal. 15. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Psal. 23. 7. 8. 9. 10. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio. Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Psal. 87. 5. *Æstimatus sum cũ descendẽtibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.* Psal. 106. 14. 15. 16. *Et eduxit eos de tenebris, & umbra mortis: & vincula eorũ disrupit.*

Consi-

Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum, quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Isai. 38.10. Ego dixi: in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Quæsiui residuum annorum meorum. Ibidem cap. 45.2. Ego ante te ibo; & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Osee. 13.14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne; consolatio abscondita est ab oculis meis.

VERITAS. Actor. 2. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. Viri Israëlitæ, audite verba hæc: Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigijs, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis; hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis: quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim dicit in eum: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi ne commouear; propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ & replebis me iucunditate cum facie tua. Ephes. 4.9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Col. 2.13.14.15. Et vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis

nobis omnia delicta: delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. 1. Petr. 3. 18. 19. 20. *Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem Spiritu. In quo & his, qui in carcere erant, Spiritus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca: in qua pauci, id est, octo animæ, salua factæ sunt per aquam.*

CAPVT LXXII.

Quanta fuerit huius diei, passionis Dominicæ, solemnitas.

FIGVRAE. 1. Hæc dies nobis ex peccato leprosis, boni nuncij est. 4. Reg. 7. 9. *Dixerũtq; ad inuicem: Non rectè facimus: hæc enim dies boni nuncij est. Si tacuerimus, & noluerimus nunciare vsq; mane, sceleris arguemur: venite, eamus, & nunciemus in aula regis.*

2. In qua Saul superauit Naas Ammonitẽ. & in qua nullum inimicorum suorum voluit occidi. 1. Reg. 11. 11. 12. 13. *Et factum est, cùm dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsq; dum inualesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter. Et ait populus ad Samuelem*

muelem: Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos. Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israël.

3. Dies iubilęi quando quisq; rediit ad possessionem suam. Leuit 25. 13. *Anno iubilæi redeant omnes ad possessiones suas.* Quando nobis aurea porta lateris Christi aperitur.

4. In qua vnica oblatione nos sanctificauit. Hebr. 10. 14. *Vna enim oblatione, consummauit in sempiternum sanctificatos.*

5. In qua, mortuo summo sacerdote illius temporis, reuertitur homicida in domum suam, de qua exiuerat. Ios. 20. 6. *Et habitabit in ciuitate illa, donec stet ante iudicium causam reddens suo cœtui, & moriatur sacerdos magnus, qui fuerat in illo tempore: tunc reuertetur homicida, & ingrediatur ciuitatem, & domum suam de qua fugerat.*

6. In qua non erit anathema amplius. Zach. 14. 10. 11. *Et reuertetur omnis terra vsq; ad desertum, de colle Remmon ad Austrum Ierusalem: & exaltabitur, & habitabit in loco suo, à porta Beniamin, vsq; ad locum portæ prioris, & vsq; ad portam angulorum, & à turre Hananeël vsq; ad torcularia regis: & habitabunt in ea, & anathema non erit amplius: sed sedebit Ierusalem secura.*

7. In qua pater cælestis nostras iniquitates à Filio abstulit. Zach. 3. 4. 5. *Qui respondit, & ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: ecce abstuli à te iniqui-*

te iniquitatem tuam, & induite mutatorijs. Et dixit: ponite cidarim mundam super caput eius. Et posuerunt cidarim mundam super caput eius, & induerunt eum vestibus: & angelus Domini stabat, &c.

8. In qua vna die ablata est iniquitas terræ. Zach. 3. 9. *Quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt: ecce ego calabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.*

9. Cùm misertus nostri in profundũ maris proiecit omĩa peccata nostra. Mich. 7. 19. *Reuertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & proiciet in profundũ maris omnia peccata nostra.*

10. Cùm Christus factus pontifex futurorum bonorum, introijt in sancta æterna redemptione inuenta. Hebr. 9. 11. 12. *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorũ per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non huius creationis: neq; per sanguinem hircorum, aut vitulorum; sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta aterna redemptione inuenta.*

11. In qua fortior fortis armati domum ingressus, vniuersa domus eius spolia dirupit, & fortem domo direpta alligauit. Matt. 12. 29. *Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi priùs alligauerit fortem? & tunc illius domum diripiet.* Luc. 11. 21. 22. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens viceret eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.*

12. In

12. In qua de petra eductum mel, oleúmq; de saxo durissimo. Deut. 32. 13. *Constituit eum super excelsam terrā: vt comederet fructus agrorū, & sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo.* Petra autem erat Christus. 1. Cor. 10. 4. *Et omnes eandē potum spiritalem biberunt: (bibebant autē de spirituali, consequente eos petra; petra autem erat Christus)*

13. In qua serpentis caput contritum. Gen. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.*

14. In qua serpens Aeneus venenosos morsus sanat. Numer. 21. 9. *Fecit ergo Moyses serpentem Æneum, & posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Ioan. 3. 14. *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.*

15. In qua Pater cælestis videns arcum in nubibus cæli extensum, recordatus est fœderis sui. Genes. 9. 13. 14. 15. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & interram. Cumq; obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat: & non erunt vltrà aquæ diluuij ad delendum vniuersam carnem.*

16. In qua Ioseph post tot iniurias constituitur Dominus Aegypti, post Pharaonem. Genes. 41. 41. 42. 43. 44. 45. *Dixitq; rursus Pharao ad Ioseph: Ecce, constitui te super vniuersam*

ram Ægypti: Tulitq; annulum de manu sua, & dedit eum in manibus eius: vestiuitq; eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitq; eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti. Vertitq; nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi. Deditq; illi vxorem Aseneth filiam Putipharis sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaq; Ioseph ad terram Ægypti.

17. In qua misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax se osculatæ sunt. Psal. 84. 11. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt.*

18. In qua auertit captiuitatem Iacob, & benedixit terræ suæ. Psalm. 84. 2. *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob.*

19. In qua remisit iniquitatem plebi suæ, & operuit omnia peccata eorum. Psalm. 84. 3. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.*

20. In qua Deus mitigauit omnem iram suam. Psalm. 84. 4. *Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ.*

21. Mardochæus sacco luctus exuitur, quo fuerat indutus donec dominabatur Aman, & permaneret ex edicto regis sententia mortis, pro sacco purpuram accepit, factus secundus à rege, relaxato ab omni suo populo regis edicto, & Aman suspensus in cruce eadem, quam præ-

parauerat Mardochæo, sed & filij Aman [illegible]
Esth 3. 5. 6. *Quod cùm audisset Aman, & expe-*
rimento probasset quòd Mardochæus non flecteret
sibi genu, nec se adoraret, iratus est valdè, & pro-
hibo duxit in vnum Mardochæum mittere manus
suas: audierat enim quod esset genitis Iudæus: ma-
gisq; voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno
Assueri, perdere nationem. Ibidem cap. 4. v. 1.
3. *Quæ cùm audisset Mardochæus, scidit vestimen-*
ta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti:
& in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat,
ostendens amaritudinem animi sui, & hoc eiulatu
vsq; ad foras palatij gradiens: Non enim erat licei-
tum indutum sacco aulam regis intrare. In omnibus
quoq; prouincijs, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regij
dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos,
ieiunium, vlulatus, & fletus, sacco & cinere multis
pro strato vtentibus. Cap. 6. 6. 7. 8. 9. 10. 11.
Cumq; esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro
quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in
corde suo Aman, & reputans quod nullum alium
rex, nisi se vellet honorare, respondit: Homo quem
rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs, & im-
poni super equum, qui de sella regis est, & accipiat
regium diadema super caput suum, ac primus de
gijs principibus ac tyrannis, teneat equum eius, & p
plateam ciuitatis incedens, clamet, & dicat: Sic
norabitur, quemcunq; voluerit rex honorare.
xitq; ei rex: Festina, & sumpta stola, & equo,
vt locutus es, Mardochæo Iudæo, qui sedet ante
pa

palatij. Caue ne quidquam de his, quæ locutus es prætermittas. Tulit itaq; Aman stolam & equum, indutumq; Mardochæum in platea ciuitatis, & impositum equo præcedebat, atq; clamabat: Hoc honore condignus est quemcumq; rex voluerit honorare. Cap. 7. 9. 10. Dixitq; Harbona, vnus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum quod parauerat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo. Suspensus est itaq; Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo, & regis ira quieuit. Cap. 8. 7. Respondit q; rex Assuerus Esther reginæ, & Mardochæo Iudæo: Domum Aman concessi Esther, & ipsum iussi affigi cruci, quia ausus est manum mittere in Iudæos. Vers. 12. Et constituta est per omnes prouincias vna vltionis dies, id est tertiadecima mensis duodecimi Adar. Vers. 15. 16. 17. Mardochæus autem de palatio, & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regijs, hyacinthinis videlicet & aërijs, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atq; purpureo. Omnisq; ciuitas exultauit, atq; lætata est. Iudæis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudiũ. Cap. 9. 12. 13. 14. 15. Qui dixit reginæ: In vrbe Susan interfecerunt Iudæi quingẽtos viros, & alios decẽ filios Aman: quãnam putas eos exercere cadẽ in vniuersis prouincijs? Quid vltrà postulas, & quid vis vt fieri iubeã? Cui ilia respondit: Si regi placet, detur potestas Iudæis, vt sicut fecerunt hodie in Susan, sic & cras faciant,

& decem filij Aman in patibulis suspendantur. Re-
cepitq; rex vt ita fieret. Statimq; in Susan pro-
dit edictum, & decem filij Aman suspensi sunt. Con-
gregatis Iudæis quarta decima die mensis Adar,
interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum
ab illis directa est substantia. Vers. 25. 26. *Et po-*
stea ingressa est Esther ad regem, obsecrans vt cona-
tus eius litteris regis irriti fierent: & malum, quod
contra Iudæos cogitauerat, reuerteretur in caput
eius. Denique & ipsum & filios eius affixerunt cruci,
atq; ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim, id
est sortium: eo quod phur, id est sors, in vrnam
missa fuerit. Et cuncta, quæ gesta sunt, epistolæ, id
est libri huius volumine continentur.

22. Ista est dies quam nulla vnquâ delebit obliuio. Esth. 9. 28. *Isti sunt dies, quos nulla vnquam*
delebit obliuio: & per singulas generationes cunctæ
in toto orbe prouinciæ celebrabunt: nec est vlla ciui-
tas, in qua dies phurim, id est sortium, non obserue-
tur à Iudæis, & ab eorum progenie, quæ his cæremo-
niis obligata est.

23. In qua Dominus saluum fecit populum
suum liberans eum ab omnibus malis; in qua
duo dracones decertauerunt, Mardochæus, &
Aman. Esther. 10. 6. 7. 8. 9. *Paruus fons, qui cre-*
uit in fluuium, & in lucem, solemq; conuersus est, &
in aquas plurimas redundauit: Esther est, quam
rex accepit vxorem, & voluit esse reginam. Dra-
autem dracones: ego sum, & Aman. Gentes, quæ
conuenerant: hi sunt, qui conati sunt delere nomen
Iudæ-

Iudeorum. Gens autem mea, Israël est, quæ clamauit ad Dominum, & saluum fecit Dominus populum suum: liberauitq; nos ab omnibus malis, & fecit signa magna, atq; portenta inter gentes.

24. In qua lux & sol ortus est. Esther. 11. 11. *Lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos.*

25. Hunc diem mœroris, & luctus, Dominus vertit in gaudium. Esther. 16. 21. *Hanc enim diem Deus omnipotẽs, mœroris & luctus, eis vertit in gaudium.*

26. Vnde sub pœna mortis seruanda cum summa solemnitate. Ibid. Vers. 22. 23. 24. *Vnde & vos inter cæteros festos dies, hãc habetote diem, & celebrate eam cum summa lætitia, vt & in posterũ cognoscantur, omnes qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem insidiantur regno, perire pro scelere. Omnis autem prouincia & ciuitas, quæ noluerit huius solemnitatis esse particeps, gladio & igne pereat, & sic deleatur, vt non solum hominibus, sed etiam bestijs inuia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus, & inobedientiæ.*

27. Nunc Dauid interfecit leonem & vrsum. 1. Reg. 17. 34. 35. 36. *Dixitq; Dauid ad Saul: pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam*

hendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos. Nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur & Philisthæus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis?

28. Hac die Dauid in funda & lapide prostrauit Goliad, & proprio illum gladio interfecit. Ibidem 48. 49. 50. 51. *Cùm ergo surrexisset Philistæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid, festinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philistæi. Et misit manum suam in peram, tulitq; vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percussit Philistæum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram. Præualuitq; Dauid aduersus Philistæum in funda & lapide, percussumq; Philistæum interfecit. Cumq; gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philistæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præciditq; caput eius. Videntes autem Philistiim quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.*

29. Hodie sanguis agni paschalis occisi a origine mundi nos ab angelo percutiente libe rauit. Exod. 12. 7. *Et sument de sanguine eius & ponent super vtrumq; postem, & in superlim naribus domorum, in quibus comedent illum*

Ve

Vers. 13. *Erit autem sanguis vobis in signum in aedibus in quibus eritis: & videbo sanguinem & transibo vos: nec erit in vobis plaga dissipans quando percussero terram Ægypti.*

30. Hodie consummata est prævaricatio, finem accepit peccatum, deleta est iniquitas terræ, adducta est iustitia sempiterna, impleta est visio & prophetia. Dan. 9. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, & vt consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum.*

31. In hac die finem habuerunt querelæ & minæ à Domino apud Ezechielem propositæ de viro non inuento qui se poneret sepem inter Deum & terram. *Quæsiui* (inquit) *de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam: Et non inueni. Et effudi super eos indignationem meam: & in igne iræ meæ consumpsi eos, vium eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.* At nunc habet Pater cælestis sepem Christum qui oppositus non tantùm stat Deo sed pendet in cruce pro terra ne dissipet eam. Verus mediator Dei & hominum Christus Iesus: vt libro tertio capite vndecimo latiùs.

Et hæc de passione Dominica. Cæterùm quo modo Deus vicissim, omnibus plagis & doloribus quibus Christi corpus confecerunt, Iudæos excruciauerit proprius liber noster docet. Cui titulus. Triumphus Christi de Iudæis.

* *
*

LIBER

LIBER SEXTVS.

CHRISTVS IESVS DE MORTE RESVRGIT, TRIVMPHANS CAELOS ASCENDIT ET SPIRITVM S. MITTIT.

CAPVT PRIMVM.

RESVRRECTIONIS CHRISTI FESTIVITAS quomodo ex scriptis Moysis eliciatur.

NOta hoc loco quod ipse saluator à Moyse inceperit probare suam & passionem & resurrectionem. Quæ loca cùm non tradiderint Euangelistæ, conabimur ea hîc tradere, quæ hanc solemnitatem reddunt celebrem, à Moysis scriptis incipiendo.

FIGVRAE. 1. Adamo euigilanti datur vxor ex eius latere & costis ædificata. Genes. 2. 21. 22. 23. 24. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et edificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mu-*

lierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adã: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrẽ, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Conuenit cum Christo, qui non costam; sed seipsum tradidit pro Ecclesia, vt eam gloriosam, fuso ex sacro latere sanguine redderet. Ephes. 5. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. *Quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus est caput Ecclesiæ; ipse saluator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo: ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ; in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui vxorem suam diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia.*

2. Noë ex vino vineæ quam ipse plantauerat, ebrius, iacuit in tabernaculo suo nudatus, irrisus à Cham, & euigilans illi maledicit. Gen. 9. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. *Cœpit Noë vir agricola exerce-*

cere terram, & plantauit vineam. Bibensq; vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo. Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nũciauit duobus fratribus suis foras. At verò Sem & Iaphet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui: facies q; eorum auersæ erãt, & patris virilia non viderunt. Euigilans autem Noë ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitq; Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, sitq; Chanaan seruus eius. Plantauerat vineã Christus, secundùm id Esa. 5.1. Cantabo dilecto meo canticũ patruelis mei vineæ suæ, &c. Assumpta carne, amore nostro inebriatus, nudus pependit in ligno, nudus iacuit in sepulchro, & tumulo, surgens maledixit Iudæis, quiiam quasi serui & mancipia sunt Christianorum.

3. Abraham post generationẽ Ismaelis corp' habet emortuũ, & Sara vuluã emortuã, inde tamẽ post benedictionẽ acceptã infinitę gẽtes excitatę Gen. 15. 5.6. Eduxitq; illũ foras, & ait illi: Suspice cælũ & numera stellas si potes. Et dixit ei: sic erit semen tuum. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ibidem cap. 18. 9.10.11.12.13.14. Cumq; comedissent, dixerunt ad eum: vbi est Sara vxor tua? Ille respondit: ecce in tabernaculo est. Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito, Sara

risit

risit post ostium tabernaculi. Erãt autem ambo senes, proiectæq; ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria, quæ risit occultè dicens: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Dixit autem Dominus ad Abraham: quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus? Numquid Deo quicquam est difficile? iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium. Isai. 51. 1. 2. Audite me qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam lacus, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Rom. 4. 17. 18. 19. 20. 21. (Sicut scriptum est: quia patrem multarum gentium posui te) ante Deum, cui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium secundùm quod dictum est ei: Sic erit semen tuum. Et non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum: & emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunq; promisit, potens est & facere. Sic post resurrectionem & mortem Christi dilatatur Ecclesia, quæ omnino sterilis & sopita putabatur. Isai. 54. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Lauda sterilis quæ non paris: decanta laudem, & hinni quæ non paris:

bas: quoniam multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum dicit Dominus. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit: Noli timere quia non confundêris, neq; erubescas; non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuiscêris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius. Quia dominabitur tui qui fecit te Dominus exercituum nomen eius: & redemptor tuus Sanctus Israël, Deus omnis terræ vocabitur. Quia vt mulierem derelictam & mœrentem spiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adolescentia abiectam, dixit Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit redemptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuraui ne inducerem aquas Noë vltrà supra terram: sic iuraui vt non irascar tibi & non increpem te. Galat. 4. 27. 28. 29. Scriptum est enim: lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filij desertæ, magis quàm eius, quæ habet virum. Nos autem fratres secundùm Isaac promissionis filij sumus. Sed quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat persequebatur eum, qui secundùm Spiritum: ita & nunc.

4. Iacob

4. Iacob accepta benedictione Esau (quem capitali odio persecutus est) fugiens in alienam terram; ad solis occasum vt dormiret, supposuit capiti lapidem, viditq; schalam cælos contingentem, promissionem seminis à Deo accipit, locum terribilem, & domum Dei nominat, erigit lapidem in titulum, & altare. Genes. 27. & 28. capitibus. Christus Dominus fugiens Iudæos, in baculo crucis egreditur de terra hac, vesperi sepelitur in lapide, ascendunt & descendunt angeli custodientes sepulchrum, & fit sepulchrum eius glorioſum, benedictionem obtinet in quatuor plagis cæli, cui acclamatur vbiq; honor, gloria, benedictio, &c. Apocal. 4. 7. 8. 9. 10. 11. *Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas: in circuitu, & intus plena sunt oculis: & requiem non habebant die ac nocte*, dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in secula seculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti*

sti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt. Ibidem cap. 5. 10. 11. 12. 13. 14. *Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes: & regnabimus super terram. Et vidi, & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: Omnes audiui dicentes: sedenti in throno, & Agno: benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti-quatuor seniores ceciderunt in facies suas: & adorauerunt viuentem in secula seculorum.* Cap. 7. 10. 11. 12. *Et clamabant voce magna dicentes; Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt DEVM, dicentes: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.* Hebr. 6. 13. 14. 15. *Abrahæ namq; promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iurauit per semetipsum, dicens: Nisi benenedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.*

Et sic

Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Terribilis est locus sepulchri, quando cum illum terræmotus factus, & exterriti custodes, qui etiam verè domus Dei fuit, qui locus etiam non tantum in altare, sed & in templum erectus fuit, demum cum duabus vxoribns Synagoga & Ecclesia reuertitur.

5. Iudæ benedictio iam impletur. Genes. 49. 8. 9. 10. *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Hunc enim laudarunt fratres sui Apostoli, manus eius experti sunt inimici eius, Mors, Infernus, Diabolus. Adorauerunt eum tres Mariæ, & Apostoli, filij & filiæ Patris sui. Matth. 28. 9. *Et ecce Iesus occurrit illis dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum,* Vers. 17. *Et videntes eum, adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.* Antea vix vermis. Psalm. 21. 7. *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Iam catulus leonis ascendit ad prædam, & Christus exaltatus à terra omnia trahit ad seipsum. Ioan. 12. 32. *Et ego si exaltatus fuero à terra omnia trahamad meipsum.* Ibidem cap. 3. 14. *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium*

Filium hominis : Accumbet in sepulchro, rapiet infernum spoliando, rugiet damnatos affligendo, clamabit catulos suos mortuos ad vitam reuocando. Quæ potentia suscitabit eum nisi diuina? Qui fit lux, & expectatio gentium, vt suprà lib. 3. cap. 10. diximus.

6. Ioseph post varias miserias educitur de carcere, & ad regis imperium tonsus, mutata veste, offertur regi. Cõstituitur dominus Aegypti post Pharaonem, & vocatur Saluator mũdi, pascit fratres suos, & totã Aegyptũ, & cognationem, adoratur à fratribus. Genes. 41. 14. 15. *Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt : ac veste mutata, obtulerunt ei. Cui ille ait : Vidi somnia, nec est qui edisserat : quæ audiui te sapientissimè conijcere.* Vers. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius: Locutusq; est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph : quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: Vno tantùm regni solio te præcedam. Dixitq; rursus Pharao ad Ioseph: ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti. Tulitq; annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: Vestiuitq; eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitq; eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu fle-*

nu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti. Dixit quoq; rex ad Ioseph: ego sum Pharao, absq; tuo imperio nō mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. Vocauitq; nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptia, Saluatorem mundi. Deditq; illi vxorem Aseneth filiam Putipharis sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaq; Ioseph ad terram Ægypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu regis Pharaonis) & circuiuit omnes regiones Ægypti. Venitq; fertilitas septem annorum, & in manipulis redacta segetes cōgregatæ sunt in horreis Ægypti. Vers. 53. 54. 55. 56. 57. Igitur transactis septē vberitatis annis, qui fuerant in Ægypto: Cœperunt venire septem annī inopiæ: quos prædixerat Ioseph; & in vniuerso orbe fames prævaluit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat. Qua esuriente, clamauit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: ite ad Ioseph, & quicquid ipse vobis dixerit, facite. Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitq; Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Ægyptijs: nam & illos oppresserat fames. Omnesq; prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent. Omnia clara in hoc Christi triumpho, & maximè de mirabili fame verbi Dei & panis cælestis, quibus totum mundum postmodum pauit, incipiens ab Ierosolymis, vt patet 2. 3. & 4. capite Actuum Apostolorum.

7. Moyses edicto Pharaonis vt cæteri

cidi iussus, à matre in fiscellam positus, & in aquas coniectus, à filia Pharaonis educatus & enutritus, ibidem à Deo honoratus, Deus Pharaonis constituitur, & filios Israël educit ex Aegypto. Exod. 1. 22. *Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens: quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite, quicquid fœminini reseruate.* Ibidem cap. 2. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Egressus est post hæc vir de domo Leui: & accepit vxorem stirpis suæ, quæ concepit, & peperit filium, & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumq; iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam & liniuit eam bitumine ac pice: posuitq; intùs infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procùl sorore eius, & considerante euentum rei. Ecce autem descendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine: & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis; & allatam aperiens, cernensq; in ea paruulum vagientem, miserta eius, ait: De infantibus Hæbreorum est hic. Cui soror pueri: Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hæbream, quæ nutrire possit infantulum? Respondit: vade. Perrexit puella & vocauit matrem suam. Ad quam locuta filia Pharaonis: accipe, ait, puerum istum, & nutri mihi; ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutriuit puerum, adultumq; tradidit filiæ Pharaonis, &c.* Moyses in fiscellam scirpeam, Christus in præsepe positus, Cap. 7. 1. 2. *Dixitq; Dominus ad Moy-*

sen: Ecce constitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris omnia quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Israël de terra sua. Cap. 11. 40. 41. 42. *Habitatio autem filiorum Israël qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorũ triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti: hanc obseruare debent omnes filij Israël in generationibus suis.* Vers. 51. *Et eadem die eduxit Dominus filios Israël de terra Ægypti per turmas suas.*

8. Virga Aaronis priùs ficca & emortua posita corã Domino in tabernaculo testimonij, sequenti die inuenitur germinasse. Num. 17. 6. 8. 9. *Locutusq; est Moyses ad filios Israël: & dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fueruntq; virgæ duodecim absq; virga Aaron. Quæ cùm posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij: sequenti die regressus inuenit germinasse virgã Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, amygdalas deformati sunt. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israël: viderunt q;, & receperunt singuli virgas suas.* Corpus Christi in cruce exhaustum & mortuum, in glorioso sepulchro conditur, multæ gemmæ, & resurrectionis testimonia ta priùs, tandem eius caro refloruit. Psalm. 7.

7. *Dominus adiutor meus, & protector meus: in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum. Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.* Cant. 7. 12. *Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea.*

CAPVT II.

Resurrectionis Christi gloria quomodo historiæ veteris testamenti respondeat.

I. Samson vltionem sumens de inimicis, percutit eos ingenti plaga, & descendens habitat in spelunca, de petra etiam egressus soluit vincula vt lina ad odorem ignis, percutit mille viros in maxilla asini, leonem quasi hœdum in frusta discerpit. Circumdatus in ciuitate Gaza, dormientibus custodibus ambas portæ fores cum postibus suis, & seris humeris impositis portat ad verticem montis, moriens commouendo totam domum cum columnis, plures occidit quàm viuens. Iud. 14. 6. *Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hœdum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu: & hoc patri & matri noluit indicare.* Ibidem cap. 15. 7. 8. *Quibus ait Samson: licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam vltionem, & tunc quiescam. Percussitq; eos ingenti plaga, ita vt stupentes suram femori imponerent. Et descendens habitauit in spelunca petræ Etam.* Vers. 11. 12. 13 14. 15. *Descenderunt ergo tria millia viro-*

rum de Iuda, ad ſpecum ſilicis Etam, dixerunq; ad Samſon: Neſcis quod Philiſtiim imperent nobis? quare hoc facere voluiſti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, ſic feci eis. Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philiſtinorum. Quibus Samſon, intrate, ait: & ſpondete mihi quod non occidatis me. Dixerunt: non te occidemus, ſed vinctum trademus. Ligauerunq; eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam. Qui cùm veniſſet ad locum Maxillæ, & Philiſtiim vociferantes occurriſſent ei, irruit Spiritus Domini in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta. Inuentamq; maxillam, id eſt mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros. Et ait: in maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum delemi eos, & percuſſi mille viros. Cumq; hæc verba cantans complesſet proiecit mandibulam de manu, & vocauit nomen illius Ramathlechi, quod interpretatur elevatio maxillæ. Cap. 16. 1. 2. 3. Abiit quoq; in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuq; eſt ad eam. Quod cùm vidiſſent Philiſtiim, & percrebuiſſet apud eos intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum, poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, quod facto mane exeuntem occiderent. Dormiuit autem Samſon vſq; ad medium noctis: & circa conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis, & ſera, impoſitasq; humeris ſuis

iauit ad verticem montis, qui respicit Hebron. Vers. 21. *Quem cùm apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* Vers. 25. 26. 27. 28. 29. 30. *Latantesq; per conuiuia, sumptis iam epulis, præceperunt vt vocaretur Samson, & ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, fecerunteq; eum stare inter duas columnas. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & reclinet super eas, & paululum requiescam. Domus autem plena erat virorum ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philistinorum, ac de tecto ac solario circiter tria millia vtriusq; sexus spectantes ludentem Samson. At ille inuocato Domino, ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, vt vlciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum vnam vltionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteram q; earū dextera, & alteram leua tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philistiim, concussisq; fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & cæterā multitudinem, quæ ibi erat: multoq; plures interfecit moriens quam ante viuus occiderat.* Christus Dominꝰ duobus nouis funibus, sindone, & sudario ligatus in sepulchro, custodes profligat per angelum, iā constitutus Rex super Sion montē sanctū eius, qui asino antea insidens, & in cruce rex Iudæorū

proclamatus fuit, & leonem Diabolum discerpsit portis infernalibus destructis: Cuius testimonia ponit in montes Apostolicos, & dum gloriantur de eius iniurijs, & ludibrio, concussis terræmotu columnis, moriens occidit mortem, diabolum, infernum, data sibi omni potestate. Matth. 28. 18. *Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.*

2. Dauid occiso leone, & vrso, & Philistæo in funda & lapide, ingreditur in Ierusalem, exceptus à choris mulierum de vniuersis vrbibus Israël. Idem impij Saulis custodia *in domo* sua obsessus, non tamen per cõmune ostium euadit ad regnum sibi promissum. Idem cùm in interiori parte speluncæ latebat, præscidit oram chlamydis Saulis. Eodem Saule dormiente, auffert illi hastam, & scyphum. 1. Reg. 17. 34. 35. *Dixitq; Dauid ad Saul: Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos & percutiebam, eruebamq; de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos.* Vers. 50. 51. *Præualuitq; Dauid aduersum Philistæum in funda & lapide, percussumq; Philistæum interfecit.* &c. Ibidem cap. 18. 5. 6. 7. 8. *Egrediebatur quoq; Dauid ad omnia quæcunq; mittisset eum Saul, & prudenter se agebat: posuitq; eum Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis vniuersi po-*

pu-

puli, maximeq; in conspectu famulorum Saul. Porrò cùm reuerteretur percusso Philistæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israël, cantantes, chorosq; ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes, atq; dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste; dixitq;: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt, quid ei superest, nisi solum regnum? Cap. 19. 11. 12. Misit ergo Saul satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur manè. Quod cùm annunciasset Dauid Michol vxor sua, dicens: Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris; deposuit eum per fenestram, porrò ille abiit & aufugit, atq; salvatus est. Cap. 24. 4. 5. Et venit ad caulas ouium, quæ se offerebant vianti, eratq; ibi spelunca, quam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem. Porrò Dauid & viri eius in interiore parte speluncæ latebant. Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te; ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & præscidit oram chlamydis Saul silenter. Cap. 26. 12. 13. 14. 15. Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret; sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos. Cumq; transisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longè, & esset grande interuallum inter eos,

clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nónne respondebis Abner? Et respondens Abner ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas regem? Et ait Dauid ad Abner: numquid non vir tu es? & quis alius similis tui in Israël? Quare ergo non custodisti Dominum tuum regem? ingressus est enim vnus de turba vt interficeret regem Dominum tuum. Christus vt leonem & vrsum infernalem, sic dæmonẽ vt Dauid Goliad duicit: surgit è sepulchro, & quasi ingredienti Ierusalem occurrunt Mariæ, & apprehensis pedibus adorant resurgentem: occlusus sepulchro exit more non solito, purgat & limbum patrum, qui ora quędam erat chlamydis infernalis, & diabolo nõ minus quàm Christum triumphare cogitante, eius domum inuasit, hastam, & omnia vasa, & arma in quibus cõfidebat, diripuit, mortem armigerum diaboli, increpans. Osee. 13. 14. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne: consolatio abscondita est ab oculis meis.*

3. Elias cùm interfeciſſet omnes prophetas Baal gladio, fugiens delituit in petra, quam egredi iubetur, & in viam suã redire vt vngat reges & prophetas. 3. Reg. 18. 40. *Dixitq; Elias ad eos: apprehendite prophetas Baal, & ne vnus quidẽ effugiat ex eis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, & interfecit eos ibi.* Ibid. cap. 19. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Nunciauit autem Achab Iezabel omnia quæ fecerat Elias, & quomodo occidisset vniuersos prophetas gladio. Misitq; Iezabel nuncium*

ad

ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addãt nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animã vnius ex illis. Timuit ergo Elias, & surgens abiit quocunq; eum ferebat voluntas, venitq; in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perrexit in desertum viã vnius diei. Cumq; venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiit animæ suæ vt moreretur, & ait: sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neq; enim melior sum, quam patres mei. Proiecitq; se, & obdormiuit in vmbra iuniperi: & ecce angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rursum obdormiuit. Reuersusq; est angelus Domini secundò, & tetigit eũ, dixitq; illi: Surge comede: grãdis enim tibi restat via. Qui cùm surrexisset, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsq; ad montem Dei Horeb. Cumq; venisset illuc, mansit in spelunca, & ecce sermo Domini ad eum, dixitq; illi. Quid hîc agis Elia? At ille respondit: zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituũ, quia dereliquerunt pactum suũ filij Israël: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærũt animam meam, vt auferant eã. Ver. 15. 16. Et ait Dominus ad eũ: vade, & reuertere in viã tuã per desertũ in Damascũ: cumq; perueneris illuc, vnges Hazaël regẽ super Syriã, & Iehu filium Namsi vnges regẽ super Israël. Eliseũ autẽ filiũ Saphat, qui est de Abelmeula, vnges prophetam pro te. Christus vbiq; à Iezabel, Synagoga scilicet perse-

persecutionem passus, Patri commendans spiritum, optat mori, proijciens se lubens sub iuniperum crucis, vbi moriens dormiuit; sicut & propter zelum DEI se moriens abdidit sepulchro, ex quo reuocatur ad pristinam viam, de qua Ioan. 16. 28. *Exiuit à Patre, & venit in mundum: iterum reliquit mundum, & iuit ad Patrem*; quod verò euocatur ab Angelo, est desiderium ingens Angelorum, vt eorum impleat ruinas. Psalm. 109. 6. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.* Reges & Prophetas cælestes constituens: secundùm id psalmi 44. 17. *Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui Domine.*

4. Eliseus post sanatas aquas pessimas ascendens in Bethel, irrisus à pueris, maledicit illis; ita vt deuorentur ab vrsis. 4. Reg. 2. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Dixerunt quoq; viri ciuitatis ad Eliseum: Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse Domine perspicis, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. At ille ait: Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cùm attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltrà in eis mors, neq; sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ vsq; ad diem hanc, iuxta verbum Elisei, quod locutus est. Ascendit autem inde in Bethel; cumq; ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue, ascende*

de calue. Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressiq; sunt duo vrsi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. Christus misso sale sapientiæ in vitam nostram miseram, & pessimam, sanauit eam; tandem ascensurus ad Patrem, priùs irridetur, & omnis maledictio à tempore Abel venit super Iudæos. Matth. 23. 33. 34. 35. 36. 37. 38. *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem: vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terrā, à sanguine Abel iusti vsq; ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam, Ierusalem Ierusalem, qui occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

6. Mardochæus hactenus sacco & squalore obsitus, per plateas lugens internecionem super Aman intentatam; decoratur à Rege, regijs vestibus indutus. honorem eius proclamante inimico, qui tādem in crucem actus gente Iudæorum redempta & diem festum agente. Esth. 4. 1. 2. 3. *Quæ cùm audisset Mardochæus, scidit vestimēta sua, & indutus est sacco, spargens cinerē capiti: & in*

& in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, & hoc edictum vsq; ad fores palatij gradiens: Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare. In omnibus quoq; prouincijs, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, sacco & cinere multis prostrato vtentibus. Ibid. cap. 6. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitq; rex: ingrediatur. Cumq; esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans quod nullum alium rex, nisi se vellet honorare, respondit: Homo quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs, & imponi super equum, qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, & primus de regijs principibus ac tyrannis, teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens, clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcunq; voluerit rex honorare. Dixitq; ei rex: Festina, & sumpta stola & equo, fac vt locutus es, Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palatij. Caue ne quidquam de his, quæ locutus es prætermittas. Tulit itaq; Aman stolam & equum, indutumq; Mardochæum in platea ciuitatis, & impositum equo, præcedebat, atq; clamabat: Hoc honore condignus est quemcumq; rex voluerit honorare. Reuersusq; est Mardochæus ad ianuã palatij: & Aman festinauit ire in domũ suam lugens, & operto capite. Cap. 7. 9. 10. Dixitq; Harbona, vnus de eunuchis,

eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum quod parauerat Mardochaeo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo. Suspensus est itaq; Aman in patibulo quod parauerat Mardochaeo, & regis ira quieuit. Cap. 8.15.16.17. Mardochaeus autem de palatio & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regijs, hyacinthinis videlicet & aërijs, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atq; purpureo. Omnisq; ciuitas exultauit, atq; lætata est. Iudaeis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium. Apud omnes populos, vrbes, & prouincias, quocunq; regis iussa veniebant, mira exultatio, epulæ, atq; conuiuia, & festus dies: in tantum vt plures alterius gentis & secta eorum religioni & ceremonijs iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaserat. Christus Dominus, Diabolo vti Aman in crucem acto, gloria & honore à Patre coronatus (quod & Angelorum candidæ & splendidæ vestes testantur) lumen nouum intulit orbi, vnde & apud omnes Christianos mira exultatio & epulæ sacramentales, in fractione Eucharistici panis. Actor. 2. 42. 46. & gaudium tale quod nec flagellis, nec tormentis ab illis auferri potuit. Ioan. 16. 22. Actor. 5. 41. Quibus omnibus multitudo credentium accessit. Actor. 2. 41. 47. † 4. 4. 32. † 5. 14. † 6. 1. 7. † 8. 12. &c.

6. Iob vir simplex & rectus ac timens Deũ,

& rece-

& recedens à malo, filijs conuiuantibus, ne peccarent diluculo offert sacrificia cunctis diebus; ad cuius exteriora bona diabolus Deo permittente extendit manum; incipiens ab alijs venit ad filios, & filias. Is Deum benedicens, nudum se ingressum mundum fatetur, & nudum exiturum. Tandem ab exterioribus ad corpus Christi peruenit, carnem & pellem eius tangit, ab vxore & amicis irridetur, & tamen prædicit suam resurrectionem. Arguit Deus amicos eius & mittit eos ad Iob, vt petant pro se orari. Post quod sacrificium veniunt diuersi fratres & sorores, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem, dederuntq; singuli illi ouem, & inaurem auream vnam, & benedixit Deus nouissimis Iob magis quàm principio. Iob. 1. 1. *Vir erat in terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo.* Vers. 4. 5. *Et ibant filij eius, & faciebant conuiuia per domos, vnusquisq; in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas vt comederent & biberent cum eis. Cumq; in orbem transissent dies conuiuij mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensq; diluculo offerebat holocausta pro singulis, &c.* Vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *Dixitq; Dominus ad eum: Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Cui respondens Satan, ait: Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, &*

domum eius, vniuersamq; substantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt: tantùm in eum ne extendas manum tuam. Egressusq; est Satan à facie Domini. Cùm autem quadam die filij & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuncius venit ad Iob qui diceret: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntq; omnia, & pueros percusserunt gladio, & euasi ego solus vt nunciarem tibi. Cumq; adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues pueros q; consumpsit, & effugi ego solus vt nunciarem tibi. Sed & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus vt nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit: filijs tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos & mortui sunt, & effugi ego solus, vt nunciarem tibi. Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit, & dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit: Dominus abstulit, sicut Domino placuit,

ta factum est; sit nomen Domini benedictum: In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neq; stultum quid contra Deum locutus est. Ibidem cap. 2. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Factum est autem cùm quadam die venissent filij Dei, & starent coram Domino, venisset quoq; Satan inter eos, & staret in conspectu eius, vt diceret Dominus ad Satan: vnde venis? Qui respondens ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Et dixit Dominus ad Satan: Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustrà. Cui respondens Satan, ait: pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: ecce in manu tua est, verumtamen animã illius serua. Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo à planta pedis vsq; ad verticem eius: quæ testa saniem radebat sedens in sterquilinio. Dixit autem illi vxor sua, adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam: quasi vna de stultis mulieribus locuta es, si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccauit Iob labijs suis. Igitur audierunt tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Conue-

ra-

rant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cumq; eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissisq; vestibus sparserunt puluerē super caput suum in cœlum. Et sedērūt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem. Cap. 19. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei? quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, & celte sculpantur in silice? Scio enim quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hac spes mea in sinu meo. Quare ergo nunc dicitis: persequamur eum, & radicem verbi inueniamus contra eum? Fugite ergo a facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius est: & scitote esse iudicium. Cap. 42. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Postquam autem locutus est Dominus verba hac ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum sicut seruus meus Iob. Sumite ergo vobis septem tauros, & septē arietes. & ite ad seruum meū Iob, & afferte holocaustū pro vobis: Iob autē seruus meꝰ orabit pro vobis: faciē eius suscipiā vt non vobis imputetur stultitia:

neq; enim ad me locuti estis recta, sicut seruus meus Iob. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob. Dominus quoq; conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcunq; fuerãt Iob, duplicia, venerunt autẽ ad eũ omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerant eum priùs, & comederunt cum eo panem in domo eius: & mouerunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum: & dederunt ei vnusquisq; ouem vnam, & inaurem auream vnam. Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis quàm principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ. Et fuerunt ei septem filij, & tres filiæ. Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomen tertiæ Cornustibij. Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersa terra: dedit q; eis pater sumhereditatem inter fratres earum. Christus iustus & innocens, teste Iuda, vxore Pilati, & Pilato ipso, & centurione, D. Petro & Stephano. Matth. 27. 4. Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: quid ad nos? tu videris. Vers. 19. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iusto illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Vers. 24. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram

populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius: vos videritis. Luc. 23. 47. *Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat.* Actor. 3. 14. *Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis.* Ibidem cap. 7. 52. *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu Iusti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis.* Christus nocte & die pro nobis orauit. Luc. 6. 12. *Factum est autem in illis diebus, exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Ibid. cap. 21. 37. *Erat autem diebus docens in templo: noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliueti.* Hebr. 5. 7. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum, qui possit illum saluum facere a morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* In quem dæmon exercuit potestatem in exterioribus, tum incipiendo, cùm sedit in asino in die palmarum. Matth. 21. 16. *Et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtiq;, nunquam legistis: Quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?* Luc. 19. 39. *Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos.* Ioan. 12. 19. *Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos? videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abijt.* Inde Diabolus venit ad filios, Apostolos scilicet: primò ad Iudam. Luc. 22. 3. *Intrauit autem Satanas in*

Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim. Ioan. 13. 27. *Et post buccellam, introiuit in eum Satanas. Et dixit ei Iesus: Quod facis, fac citiùs.* Luc. 22. 31. 32. *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Dispersi greges Iob: dispersi oues Christi percusso pastore. Zach. 13. 7. *Phrase mea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute pastorem, & dispergentur oues: & conuertam manũ meam ad paruulos* Matt. 26. 31. 32. *Tunc dicit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim: percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero præcedam vos in Galilæam.* Nudus intrat mundum panniculis inuolutus. Luc. 2. 7. Spoliatus vestibus crucifigitur, & exit mundum. Luc. 23. 27. *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum quæ plangebant, & lamentabantur eũ.* Ioan. 19. 23. 24. *Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, (& fecerunt quatuor partes: vnicuiq; militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit, vt scriptura impleretur, dicens: partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.* Tandem dedit pellẽ & corpus totum, cum in eo à verti-

capitis ad pedis plantam nulla fuit sanitas. Hai. 1. 6. *A planta pedis usq; ad verticem non est in eo sanitas: Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Sedet in sterquilinio montis Caluariæ, & ridetur ab vxore, Synagoga scilicet, & ab amicis, cùm non sit ei species, neq; decor. Isai 53 1. 2. *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neq; decor; & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum,* qui & est sculptus in silice sepulchri, post persecutiones & carnis vexationes varias. Gladio, de quo scribit Iob, afflicti sunt Iudæi. Matt. 26. 52. *Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribũt.* Offert seipsum pro calumniatoribus suis. Ioan. 17. 19. 20. *Et pro eis ego sanctifico meipsum: vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm; sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Hebr. 10. 5. *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Veniunt postea ad illum, & comedũt panem ad sepulchrum. Matt. 28. 1. Luc. 24. 30. 35. † 20. 1. Ioan. 20 1. † 21. 13. 14. Actor. 2. 42. 46. In domo, ad mare scilicet Tyberiadis in die Ascensionis vt in subsequentibus cap. 10. 12. 14. Quisq; seipsum oũ offert Christo, & inaurem auream, iungendo se

ouili eius, & Apostolicis doctrinis, vendendo omnia, & ponendo ad pedes Apostolorum. Actor. 2. 44. 45. † 4. 34. 35. 56. 37. *Et gratia magna erat in illis. Neq; enim quisq; egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant: vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ad pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuiq; opus erat. Ioseph autem qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum filius consolationis) Levites, Cyprus genere, cùm haberet agrum vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.* Vide etiam capite 5. Vers. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. vbi morte repentina puniuntur & Ananias, & Saphira, quod ea in re fraudem facientes, mentiti sunt Spiritui sancto. Benedicitur in nouissimis in omnibus. Multitudinem ouiũ ostendit Ecclesiæ latitudo & perpetuitas: filiarum verò decorem docere possumus ex psalmo 44. 10. 11. 12. *Filiæ regum in honore tuo. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum, & domum patris tui: Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.*

7. De Daniele. } Vide infra caput 4.
8. De Iona. }

CAPVT

CAPVT III.

Quomodo ex psalmis probetur Christi Domini resurrectio.

PSalmo 3. 2. *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.* Vers. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo eius. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Voce mea ad Dominum clamaui; & exaudiuit me de monte sancto suo. Ego dormiui, & soporatus sum: & exsurrexi, quia Dominus suscepit me. Non timebo millia populi circumdantis me: exsurge Domine, saluum me fac Deus meus. Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti.* Qui locus etiam citatur. 1. Cor. 15. 27. *Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia.* Hebr. 2. 7. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Ibidem cap. 9. 14. 15. 16. Quanto magis sanguis Christi, &c. vt fol. 185. Matth. 28. 18. 19. 20. *Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.* Marc. 16. 15. 16. *Et dixit eis euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit,*

rit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Psalm. 15. 8. 9. 10. 11. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsq; in finem.* Sic Actor. 2. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. &c. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis: quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim dicit in eum: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear: Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ: & replebis me iucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulchrum eius est apud nos vsq; in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi DEVS de fructu lumbi eius sedere super semen eius: prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neq; derelictus est in inferno, neq;*

neq; caro eius vidit corruptionem. Psalm. 17. 8. Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis. Vers. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25 Misit de summo & accepit me: & assumpsit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me. Preuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus est Dominus protector meus. Et eduxit me in latitudinem: saluum me fecit. quoniam voluit me. Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam, & secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi: Quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo. Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo: & iustitias eius non repuli à me. Et ero immaculatus cum eo: & obseruabo me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam, & secundùm puritatem manuũ mearum in conspectu oculorum eius. Ver. 29. Quoniam tu illuminas lucernã meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas. Psal. 18. 6. 7. In sole posuit tabernaculũ suum: & ipse tanquã sponsus procedens de thalamo suo: exultauit vt gigas ad currendã viã, à summo cælo egressio eius: Et occursus eius vsq; ad summũ eius: nec est qui se abscõdat à calore eius. Psal 21. 21. 22. 23. Erue à framea Deus animam meã: & de manu canis vnicã meã. Salua me ex ore leonis: & à cornibus vnicorniũ humilitatẽ meã. Narrabo nomẽ tuũ fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te. v. 31.

Et ani-

Et anima mea illi viuet: & semen meum seruiet ipsi. Psal. 27. 1. *Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas à me: ne quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.* Vers. 7. *Dominus adiutor meus, & protector meus; in ipso speravit cor meum & adiutus sum. Et refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.* Psal. 29. 2. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.* Vers. 3. 4. 5. 6. *Domine Deus meus clamavi ad te, & sanasti me. Domine eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me à descendentibus in lacum. Psallite Domino sancti eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius. Quoniam ira in indignatione eius; & vita in voluntate eius. Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.* Vers. 10. 11. 12. 13. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam? Audivit Dominus & misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. Vt cantet tibi gloria, & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.* Psalm. 40. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur & peribit nomen eius? Et si ingrediebatur vt videret, vana loquebatur, cor eius congregavit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras, & loquebatur in id. ipsum. Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum*

iniquum constituerunt aduersum me: Nunquid qui dormit non adiiciet vt resurgat? Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis. In hoc cognoui quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum. Psalm. 564. 5. 6. *Misit de cælo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me. Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus. Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus. Exaltare super cælos Deus; & in omnem terram gloria tua.* Vers. 9. 10. 11. 12. *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine: & psalmum dicam tibi in gentibus: quoniam magnificata est vsq; ad cælos misericordia tua, & vsq; ad nubes veritas tua. Exaltare super cælos Deus & super omnem terram gloria tua.* Psalm. 67. 1. 2. 3. 4. 5. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, à facie eius; sicut deficit fumus, deficiant. Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia. Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi,* &c. Psalm. 70. 20. 21. 22. 23. 24. *Quan-*

tas

ras ostendisti mihi tribulationes multas, & malas: & conuersus vivificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me. Multiplicasti magnificentiam tuam: & conuersus consolatus es me. Nam & ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam: Deus psallam tibi in cithara, sanctus Israël. Exultabunt labia mea cùm cantauero tibi: & anima mea, quam redemisti. Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam: cùm confusi & reuerriti fuerint qui quærunt mala mihi. Psalm. 93. 17. *Nisi quia Dominus adiuuit me: paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Vers. 19. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Psalm. 107. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine: & psallam tibi in nationibus. Quia magna est super cælos misericordia tua: & vsq; ad nubes veritas tua. Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram, gloria tua; vt liberentur dilecti tui.* Psalm. 117. 22. 23. 24. 25. 26. 27. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris. Hæc est dies, quàm fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. O Domine saluum me fac, O Domine benè prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini;* DEVS *Dominus, & illuxit nobis. Constituite diem solemnem in condensis, vsque ad cornua altaris.* Psalm. 138. 2. 3. 4. 5. 6. *Domine probasti me,*

me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam, & funiculum meum inuestigasti. Et omnes vias meas praeuidisti: quia non est sermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. Vers. 11. 12. Et dixi: forsitan tenebrae conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis: quia tenebrae non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebrae eius, ita & lumē eius. Vers. 17. 18. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur; exsurrexi & adhuc sum tecum. Psal. 141. 4. 5. 6. 7. 8. In deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognouisti semitas meas. In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Considerabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognosceret me. Periit fuga à me, & non est qui requirat animam meam. Clamaui ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium. Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis. Libera me à persequentibus me; quia confortati sunt super me. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti donec retribuas mihi. Psal. 145. 8. 9. 10. Dominus soluit compeditos: Dominus illuminat caecos. Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos. Dominus custodit aduenas, pupillum,

pupillum, & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet. Regnabit Dominus in secula Deus tuus Sion, in generationem & generationem. Totus demum psalmus sexagesimus quintus de resurrectione inscribitur.

CAPVT IV.

Quomodo ex prophetis probetur Christi Domini resurrectio, & eiusdem solemnitas.

ISai. 8. 1. *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: velociter spolia detrahe, citò prædare.* Vers. 3. *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Ibidem cap. 14. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Sumes parabolam istam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cadentem populos in indignatione, plaga insanabili, subiugantem in furore gentes, persequentem crudeliter. Conquieuit & siluit omnis terra, gauisa est & exultauit; abietes quoq; lætatæ sunt super te, & cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos. Infernus subter conturbatus est in occursum aduentus tui, suscitauit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solijs suis, omnes principes nationum.* Vers. 29. 30. 31. 32. *Ne lateris Philistæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui: de ra-*

de radice enim colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem. Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent: & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam. Vlula porta, clama ciuitas: prostrata est Philistaea omnis: ab Aquilone enim fumus veniet, & non est qui effugiet agmen eius. Et quid respondebitur nuncijs gentis? quia Dominus fundauit Sion, & in ipso sperabunt pauperes populi eius. Cap. 15. 1. Onus Moab. Quia nocte (resurrectionis Christi) vastata est Ar, Moab conticuit: quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit. Vers. 4. Clamabit Hesebon, & Eleale, vsq; Iasa audita est vox eorum: super hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius vlulabit sibi. Vers. 8. Quoniam circuiuit clamor terminum Moab: vsq; ad Gallim vlulatus eius, & vsq; ad puteum Elim clamor eius. Cap. 41. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Taceant ad me insulæ, & Gentes mutent fortitudinem: accedant; & tunc loquantur simul ad iudicium propinquemus. Quis suscitauit ab Oriente iustum, vocauit eum vt sequeretur se? dabit in conspectu eius gentes, & reges obtinebit: dabit quasi puluerem gladio eius, sicut stipulam vento raptam arcui eius. Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit. Quis hæc operatus est, & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus & nouissimus ego sum. Viderunt insulæ, & timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, appropinquauerunt, & accesserunt. Vnusquisq; proximo suo auxiliabitur,

& fratri suo dicet: Confortare. Vers. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Elegi te, & non abiecit te. Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant aduersum te, erunt quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non inuenies, viros rebelles tuos: erunt quasi non sint, & veluti consumptio homines bellantes aduersum te. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicens q3 tibi: Ne timeas, ego adiuuite. Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis Israël: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus: & redemptor tuus Sanctus Israël. Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia: triturabis montes, & comminues: & colles quasi pulueren pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo dispergetos. & tu exultabis in Domino, in Sancto Israël lætaberis. Cap 53. 8. 9. 10. 11. 12. De angustia, & de iudicio sublatus est, &c. vt fol. 73. Cap. 61. 1. 2. Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit Dominus me: ad annunciandū mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionē: vt prædicarem annū placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro: vt consolarer omnes lugentes: vt ponerem lugentibus Sion, & dari eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: & vocabūtur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. Vers. 10. 11. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima

mea

mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatã monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinabit iustitiam, & laudem corã vniuersis gentibus. Cap. 62. 1. 2. vt fol. 76. Ier. 20. 12. 13. Et tu Domine exercituũ probator iusti, qui vides renes & cor: videã quæso vltionem tuã ex eis, tibi enim reuelaui causam meam. Cantate Domino, laudate Dominum: quia liberauit animam pauperis de manu malorum. Ibid. cap. 23. 5. 6. 7. 8. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustũ: & regnabit rex, & sapiens erit: & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & nõ dicent vltrà: viuit Dominus qui eduxit filios Israël de terra Ægypti: Sed viuit Dominus qui eduxit & adduxit semen domus Israël de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc: & habitabunt in terra sua. Cap. 31. 26. Ideo quasi de somno suscitatus sum: & vidi, & somnus meus dulcis mihi. Cap. 33. 14. 15. 16. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo verbum bonum. &c. vt fol. 128. Ezech. 39. 13. Sepelient autem eum omnis populus terræ, & erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus. Dan. 6. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22 23. 24. Tunc rex præcepit, & adduxerũt Danielẽ, & miserunt eum in lacũ leonũ. Dixitq; rex

Danieli: Deus tuus quē colis semper ipse liberabit eū. Allatusq; est lapis vnus, & positus est super os lacus: quem obsignauit rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem. Et abijt rex in domum suam, & dormiuit incœnatus, cubiq; non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo. Tunc rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit, appropinquansq; lacui, Danielem voce lachrymabili inclamauit, & affatus est eum: Daniel serue Dei viuentis, Deus tuus, cui tu seruis semper, putásne valuit te liberare à leonibus? Et Daniel regi respondens, ait: rex in æternum viue. Deus meus misit angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi; quia coram eo iustitia inuenta est in me: sed & coram te rex delictum non feci. Tunc vehementer rex gauisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu, eductusq; est Daniel de lacu, & nulla læsio inuenta est in eo, quia credidit Deo suo. Iubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem: & in lacum leonum missi sunt, ipsi, & filij, & vxores eorū; & non peruenerunt vsq; ad pauimentū laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt. Ibid. 14. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. Dixitq; Daniel: Dominum Deum meum adoro: quia ipse Deus viuens: iste autem non est Deus viuens. Tu autem rex da mihi potestatem, vt interficiam draconem absq; gladio, & fuste. Et ait rex: Do tibi. Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter; fecitq; massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco.

go. Et dixit: Ecce quem colebatis. Quod cùm audissent Babilony, indignati sunt vehementer: & congregati aduersus regem, dixerunt: Iudæus factus est rex: Bel destruxit, draconem interfecit, & sacerdotes occidit. Et dixerunt cùm venissent ad regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam. Vidit ergo rex quòd irruerent in eum vehementer: & necessitate compulsus, tradidit eis Danielem. Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex. Vers. 39. 40. 41. Venit ergo rex die septimo vt lugeret Danielem, & venit ad lacum, & introspexit, & ecce Daniel sedens in medio leonum. Et exclamauit voce magna rex, dicens: Magnus es Domine Deus Danielis, & extraxit eum de lacu leonum. Porrò illos, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deuorati sunt in momento coram eo. Ita inimici Christi missi in infernum. Osee. 6. 1. 2. 3. 4. 5. 6. In tribulatione sua manè consurgent ad me: Venite, & reuertamur ad Dominum: quia ipse cepit, & sanabit nos: percutiet, & curabit nos. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Sciemus, sequemurq; vt cognoscamus Dominum: quasi diluculum præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ. Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens. Propter hoc dolaui in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei: & iudicia tua quasi lux egredientur. Quia

misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plùs quàm holocausta. Ibidem cap. 7. 13. 14. vt fol. 181. Amos. 9. 11. *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum eius, & ea, quæ corruerant, instaurabo; & reædificabo illud sicut in diebus antiquis.* Quæ verba etiam citat D. Iacobus. Actor. 15. 16. *Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit: & diruta eius reædificabo, & erigã illud.* Ion. 1. 11. 12. *Et dixerunt ad eum: quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare ibat, & intumescebat. Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare a vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Ibid. cap. 2. 1. 2. &c. *Et præparauit Dominus piscem grandem vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.* Vers. 11. *Et dixit Dominus pisci: & euomuit Ionam in aridam.* Mich. 7. 8. 9. 10. *Ne lætaris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iustitiam eius. Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit ad me: Vbi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem vt lutum platearum.* Habac. 2. 1. 2. 3. 4. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem: & contemplabor, vt videam quid loquatur mihi, & quid respondeam de arguente me. Et*

respon-

respondit mihi Dominus, & dixit: Scribe visum, & explana eum super tabulas: vt percurrat qui legerit eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in sua fide viuet. Loquitur de custodia sepulchri. Ibid cap. 3. 4. 5. 6. *Splendor eius vt lux erit: Cornua in manibus eius: Ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors. Et egredietur Diabolus ante pedes eius, stetit, & mensus est terram. Aspexit, & dissolut gentes, & contriti sunt montes seculi. Incuruati sunt coles mundi ab itineribus aeternitatis eius.* Vers. 9. *Suscitans suscitabis arcum tuum: iuramenta tribubus qua locutae es.* Loquitur de arcu quem Christus ante biduum posuit in nubibus. Vers. 18. *Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Iesu meo.* Soph. 3. 8. *Quapropter expecta me, dicit Dominus; in die resurrectionis meae in futurum, quia iudicium meum vt congregem gentes, & colligam regna: & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra.* Agg. 2. 10. *Magna erit gloria domus istius nouissimae plus quàm primae, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Christus seipsum vocat templum seu domum Dei. Ioan. 2. 19. 20. 21. *Respondit Iesus & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudaei: Quadraginta & sex annis aedificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui.*

Et post resurrectionem suam impartitus est pa-
cem. Luc. 24. 36. *Dum autem hæc loquuntur, ste-
tit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis;
ego sum nolite timere.* Ioan. 20. 19. 20. 21. *Cùm
ergo serò esset die illo, vna sabbatorum, & fores essent
clausæ, vbi erant discipuli congregati propter me-
tum Iudæorum: Venit Iesus, & stetit in medio, &
dixit eis: Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostende-
dit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli, vi-
so Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis, si-
cut misit me Pater, & ego mitto vos.* Vers. 26. *Et
post dies octo, iterum erant discipuli eius intus: &
Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & ste-
tit in medio, & dixit: Pax vobis.* Zach. 3. 3. 4. 5.
*Et Iesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat
ante faciem Angeli. Qui respondit, & ait ad eos,
qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimen-
ta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli à te
iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs.* Et di-
xit: *Ponite cidarim mundam super caput eius. Et
posuerunt cidarim mundam super caput eius, & in-
duerunt eum vestibus: & Angelus Domini stabat.*
Ibidem cap. 6. 12. 13. 14. 15. *Ecce vir Oriens nomen
eius: & subter eum orietur, & ædificabit templum
Domino. Et ipse extruet templum Domino: &
ipse portabit gloriam, & sedebit & dominabitur su-
per solio suo, & erit sacerdos super solio suo, & consi-
lium pacis erit inter illos duos. Et corona erunt He-
lem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem, filio Sophoniæ me-
moriale in templo Domini. Et qui procul sunt, ve-*

nient, & ædificabunt in templo Domini: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

CAPVT V.

Quomodo ex ipsa veritate noui testamenti probetur Christi resurrectio.

MAtth. 28. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descēdit de cælo & accedēs reuoluit lapidē, & sedebat super eum; erat autem aspectus eius sicut fulgur: & vestimentum eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic: surrexit enim, sicut dixit. Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus. Et citò euntes dicite discipulis eius quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis. Et exierunt citò de monumento cum timore, & gaudio magno currentes nunciare discipulis eius.* Vers. 11. 12. 13. 14. 15. *Quæ cùm abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia*

discipuli eius nocte venerunt & furati sunt eum, nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a præside nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos, vsq; in hodiernum diem. Marc. 16. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Et cùm transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes ungerent Iesum. Et valde manè vna Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole. Et dicebant ad inuicem; quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valdè. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerũt. Qui dicit illis: Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus vbi posuerunt eum: sedite, dicite discipulis eius, & Petro quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Et illæ exeuntes, fugerunt de monumento: inuaserat enim eas tremor & pauor: & nemini quicquam dixerunt, timebut enim. Surgens autem manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. Luc 24. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Vna autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerant, aromata, & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingressæ, non inuenerunt corpus Domini Iesu. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo

duo viri steterũt secus illas in veste fulgenti. Cùm timerent autem, & declinarent vultũ in terram, dixerunt ad illas: quid quæritis viuentẽ cum mortuis? nõ est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset, dicens: quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum eius. Et regressæ à monumẽto, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cætera, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum verba ista: & non crediderunt illis. Petrus autem surgens, cucurrit ad monumẽtum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat. Ioan 20. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Vna autem Sabbati, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent ad monumentum: & vidit lapidem sublatum a monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Iesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita,

ta, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit: nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Idq; ipse met prædixit. Matth. 12. 40. *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; Sic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.* Ibidem cap. 16. 21. *Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Ierosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Cap. 17. 22. *Et occident eum, & tertia die resurget.* Cap. 20. 22. *Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quē ego bibiturus sum? Dicunt ei: possumus.* Marc. 8. 31. *Et cœpit docere eos quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari à Senioribus & à summis Sacerdotibus & Scribis: & post tres dies resurgere.* Ibid. cap. 9. 30. *Docebat autē discipulos suos, & dicebat illis: quoniā Filius hominis tradetur in manus hominū, & occident eum, & occisus tertia die resurget.* Cap. 10. 34. *Et illudent ei, & conspuent eū, & flagellabunt eum, & interficient eum: & tertia die resurget.* Luc. 11. 30. *Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis: ita erit & filius hominis generationi isti.* Ibidem cap 18. 33. *Et postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget.*

Ioan.

Ioan. 2. 19 20. *Respondit Iesus & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ei Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Vers. 21. 22. *Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cùm ergo surrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus.* Factum & impletum etiam docent Apostoli. Actor. 1. 22. *Incipiens à baptismate Ioannis vsq; in diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* Vers. 24. *Et orantes dixerunt: Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus vnum.* Ibidem cap. 2. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28 29. 30. 31. 32. *Viri Israëlitæ, audite verba hæc: Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigijs, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis: hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis, quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim dicit in eum: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear: propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe: quoniã non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ: & replebis me iucunditate cum facies*

tua.

tua. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha Dauid quoniã defunctus & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsq; in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret quia iuramento iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius: prouidens, locutus est de resurrectione Christi, quia neq; derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus. Cap. 3. 25. 26. Vos estis filij Prophetarum, & testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: & in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ. Vobis primùm Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis: vt conuertat se vnusquisq; à nequitia sua. Cap. 4. 1. 2. 3. Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt Sacerdotes, & magistratus templi, & Sadducæi, dolentes quòd docerent populum, & annunciarent in Iesu resurrectionem ex mortuis: & iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim iam vespera. Vers. 33. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri; & gratia magna erat in omnibus illis. Cap. 10. 39. 40. 41. 42. 43. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo: nobis, qui manducauimus & bibimus cum illo postquam resurrexit

resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Cap. 13. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. Cumq; consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitauit eum à mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem: qui usq; nunc sunt testes eius ad plebem. Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filijs nostris resuscitans Iesum, sicut & in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quòd autem suscitauit eum à mortuis, amplius iam non reuersurum in corruptionem, ita dixit. Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia. Ideoq; & alias dixit: Non dabis Sanctum videre corruptionem. Dauid enim in sua generatione cùm administrasset, voluntati Dei dormiuit: & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem. Quem verò Deus suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem. Cap. 17. 2. 3. Secundum consuetudinem autem Paulus introiuit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis de scripturis, ad aperiens & insinuans quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis. & quia hic est Iesus Christus, quem ego annuncio vobis.

bis. Vers. 30. 31. 32. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbiq; pœnitentiam agant; eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. Cùm autem audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiamus te de hoc iterum.* Rom. 1. 4. 5. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri; per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.* Ibidem cap. 6. 8. 9 10. *Si autem mortui sumus cum Christo: credimus quia simul etiam viuemus cum Christo: scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo.* Cap. 8. 10. 11. *Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem. Quod si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Cap. 14. 8. 9. *Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus siue morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: vt & mortuorum, & viuorum dominetur.*

tur. 1. Corinth. 15. 3. 4. 5. *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm scripturas: & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim.* Vers. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Si autem Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est: neq; Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra: inuenimur autem & falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quòd suscitauerit Christum, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neq; Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisq; autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde ij, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt. 2. Cor. 5. 14. 15. 16. Charitas enim Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniam si vnus pro*

omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus: vt & qui viuunt, iam sibi nō viuāt, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Itaq; nos ex hoc neminem nouimus secundùm carnem. Et si cognouimus secundùm carnem Christum: sed nunc iam non nouimus. Eph. 1. 20. *Quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus.* Phil. 3. 8. 9. 10. 11. *Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu: quæ ex Deo est iustitia in fide, ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus morti eius: si quomodo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.* Col. 2. 9. 10. 11. 12. *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis: in quo & circumcisi estis nō circumcisione manufacta in expoliatione corporis carnis: sed in circumcisione Christi: consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis.* Ibidem cap. 3. 1. 2. 3. 4. *Igitur si consurrexistis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo*

Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. 1. Thess. 4. 14. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt. 2. Timoth. 2. 7. 8. 9. 10. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundùm Euangelium meum in quo laboro vsq; ad vincula quasi malè operans: sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cælesti. 1. Petr. 1. 3. 4. 5. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundùm suam misericordiam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cælis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo. Ibidem cap. 3. 21. 22. Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem vt vitæ æternæ hæredes efficeremur; profectus in cælum subiectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus. Reliqua ex sequentibus decem apparitionibus patebunt.

CAPVT VI.

Prima apparitio Christi facta Mariæ Magdalenæ.

PROPHETIAE. Thren. 1. 16. *Idcirco ego ploraṽ, & oculus meus deducens aquas : quia longè fa ctus à me consolator, conuertens animam meam: fa cti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.* Cant. 3. 2. 3. 4. *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea? quæsiui illum & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem : Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Prou. 8. 17. *Ego diligentes me diligo : & qui manè vigilant ad me, inuenient me.*

VERITAS Marc. 16. 9. 10. 11. *Surgens autem manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ciecerat septem dæmonia. Illa vadens nunciauit his, qui cùm eo fuerant, lugentibus & flentibus. Et illi audientes, quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt.* Ioan. 20. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dixerunt ei illi : Mulier, quid ploras? dicit eis : quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.*

He

Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? quem quaris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum: & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria: conuersa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister) dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Venit Maria Magdalene, annuncians discipulis: quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

CAPVT VII.

Apparet tribus mulieribus.

FIGVRA. 1. Reg. 18. 6. 7. Mulieres Ierusalem & Iudæ occurrunt cum citharis & choris redeunti Dauidi, post occisum à se Goliad.

VERITAS. Matth. 28. 9. 10. *Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* 1. Cor. 15. 4. 5. *Et quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm scripturas: & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim.*

* * *

CAPVT VIII.

Tertia apparitio facta Simoni.

VERITAS. Luc. 24. 33. 34. *Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem: & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.* 1. Cor. 15. 4. 5. vt suprà capite præcedenti.

CAPVT IX.

Quarta duobus discipulis euntibus in Emaus.

FIGVRA. Angelus Raphaël dedit se socium peregrinationis Tobiæ. Tob. 5. 20. 21. 22. *Dixit autem illi Angelus: Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum. Respondens autem Tobias, ait: benè ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum. Tunc paratis omnibus, quæ erant in usum portanda, fecit Tobias vale patri suo & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul, qui postea subinde sparuit.* Tob. 12. 20. 21. 22. vt fol. 273. *Tempus est ergo vt reuertar ad eum, qui me misit: Vos autem benedicite DEVM, & narrate omnia mirabilia eius. Et cùm hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, & vltrà eum videre non potuerunt. Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum: & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.*

PROPHETIA. Psalm. 68. 9. Extra

eus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.

VERITAS. Marc. 16. 12. *Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam.* Luc. 24. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34 35. *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus: & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis: oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus'? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo: Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum: nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere.*

Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum; & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt: ipsum verò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ? Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quo ibant; & ipse se finxit longiùs ire. Et coëgerunt eum dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem: & inuenerunt congregatos undecim, & eos, qui cum illis erant, dicentes: quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

CAPVT X.

Quinta manifestatio facta in die Paschæ undecim Apostolis.

FIGVRAE. 1. De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Iudic. 14. 14.

2. Ionathæ filiæ Saul statim vt gustauit favum mellis, aperti sunt oculi. 1. Reg. 14. 27.

Qui

Qui à Saul iudicatur occidendus, populus verò fatetur eum feciſſe ſalutem in Iſraël. 1. Reg. 14. 43. 44. 45.

3. Ioſeph manifeſtat ſe fratribus ſuis cum magno illorum timore, & gaudio, quos clementer excepit. Geneſ. 45. 3. 4. 5. *Et dixit fratribus ſuis: ego ſum Ioſeph: adhuc pater meus viuit? Non poterant reſpondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cùm acceſſiſſent propè; ego ſum, ait, Ioſeph, frater veſter quem vendidiſtis in Ægyptum. Nolite pauere neq; vobis durum eſſe videatur quòd vendidiſtis me in his regionibus: pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum.*

Prophetiae. Iob. 4. 4. *Vacillantes confirmauerunt ſermones tui, & genua trementia confortaſti.* Ezech. 34. 5. 6. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. vt fol. 171.

Veritas. Luc. 24. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. *Dum autem hæc loquuntur, ſtetit Ieſus in medio eorum, & dicit eis, pax vobis: Ego ſum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis: quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum; palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid*

quod manducetis? At illi obtulerunt ei partem pi-
scis assi, & favum mellis. Et cùm manducasset co-
ram eis, sumens reliquias, dedit eis, & dixit ad eos:
Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc
essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia,
quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psal-
mis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent
scripturas, & dixit eis: quoniam sic scriptum est, &
sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis
tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam
& remissionem omnium peccatorum in omnes gentes
incipiẽtibus ad Ierosolyma. Vos autem testes estis ho-
rum. Et ecce ego mitto promissum Patris mei in vos,
vos autem sedete in ciuitate, quoadusq; induamini
virtute ex alto. Ioan. 20. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. Cùm
ergo serò esset die illo, vna sabbatorum, & fores essent
clausæ, vbi erant discipuli congregati propter me-
tum Iudæorum. Venit Iesus. & stetit in medio, &
dixit eis, pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis
manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli, viso Domi-
no. Dixit ergo eis iterũ: pax vobis. Sicut misit me Pa-
ter, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit, &
dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum re-
miseritis peccata, remittuntur eis, & quorum reti-
nueritis, retenta sunt. Thomas autem vnus ex
duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis
quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipu-
li: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Ni-
si videro in manibus eius fixuram clauorum, & mit-
tam digitum meum in locum clauorum, & mittam

manum

manum meam in latus eius, non credam.

CAPVT XI.

Sexta apparitio octauo die Paschæ ob Thomam facta.

PROPHETIAE. Psalm. 76. 2. *Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi.* Psalm. 36. 24. *Cùm ceciderit non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.* Isai. 57. 18. 19. 20. 21. *Vias eius vidi, & sanaui eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus eius. Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longè est, & qui propè, dixit Dominus, & sanaui eum. Impy autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impys, dicit Dominus Deus.*

VERITAS. Ioan. 20. 26. 27. 28. 29. *Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus: & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit pax vobis. Deinde dicit Thomæ: infer digitum tuum huc, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dixit ei Iesus: quia vidisti me Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, & crediderunt.*

CAPVT XII.

Septima apparitio ad mare Tyberiadis

EZech. 47. 1. 2. *Et conuerti me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus*

mus ad Orientem: facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, & conuertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem, & ecce aquæ redundantes à latere dextro. Vers. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Et dixit ad me: certè vidisti fili hominis. Et eduxit me, & conuertit ad ripam torrentis. Cumq; me conuertissem, ecce in ripa torrentis multa nimis ex vtraq; parte. Et ait ad me: Aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulum sabuli Orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ. Et omnis anima viuens, quæ serpit, quocunq; venerit torrens, viuet: & erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & viuent omnia, ad quæ venerit torrens. Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi vsq; ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ: in lutoribus autem eius, & in paluſtribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur. Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraq; parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per singulos menses afferet primitiua, quia aquæ eius de sanctuario egredientur: & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.* Templum est Christus, ex cuius latere fluxit aqua. Ioan. 19. 34.

PROPHETIA. Ierem. 16. 16. *Ecce ego mit-*

mittam piscatores multos dicit Dominus, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.

VERITAS. Ioan. 21. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *Postea manifestauit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic: erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in nauim: & illa nocte nihil prendiderunt. Manè autem facto, stetit Iesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est. Dixit ergo eis Iesus: Pueri nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete: & inuenietis. Miserunt ergo: & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est, tunicâ succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt: (non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit autem Simon Petrus, & traxit rete in terram, ple-*

num magnis piscibus centum quinquaginta trium. Et cùm tanti essent, non est scissum rete. Dicit ei Iesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eū: Tu quis es? scientes quia Dominus est. Et venit Iesus, & accepit panē, & dat eis, & piscem similiter. Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis cùm resurrexisset a mortuis. Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi, etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me, & dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei, pasce oues meas. Amen, Amen dico tibi: cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: Cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cùm hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine quis est qui tradet te? Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dicit Iesu, Domine hic autem quid? Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

***

CAPVT

CAPVT XIII.

Octauo apparet Iacobo, & postmodum D. Paulo.

VERITAS. 1. Cor. 15. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Notum autem vobis facio, fratres, Euangelium, quod prædicauì vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini: qua ratione prædicauerim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm scripturas: & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim. Deinde visus est plùs quàm quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent vsq; adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus: Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi. Ego enim minimus sum Apostolorum qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

CAPVT XIV.

Nona apparitio facta recumbentibus vndecim Apostolis.

VERITAS. Marc. 16. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia iis qui viderant eum resurrexisse: non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium*

gelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

CAPVT XV.

De vltima apparitione facta in monte, & ipsa ASCENSIONE CHRISTI ad cælos, & primò in FIGVRIS.

FIGVRAE. 1. Abelis iusti sanguis ascendit & clamat in cælum. Genes. 4. 10. *Dixitq; ad eum: quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

2. Henoch iustus assumitur à Domino. Genes. 5. 24. *Ambulauitq; cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus.* Eccles. 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.*

3. Iacob egreditur de terra peregrinationis cum duabus turmis, cui occurrunt castra Dei. Gen. 32. 1. 2. *Iacob quoq; abijt itinere quo cœperat, fueruntq; ei obuiam Angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait: castra Dei sunt hæc; & appellauit nomen ci*

ci illius *Mahanaim*, id est *castra*. Vers. 10. *Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua, quam expleuisti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior.*

4. Iuda catulus leonis ascendit ad prædam. Genes. 49. 9. *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?*

5. Ioseph triumphãs ascendit currũ Pharaonis, & circũducitur. Gen. 41. 40. 41. 42. 43. 44. 45. *Tu eris super domũ meam, & ad tui oris imperiũ cunctus populus obediet: vno tantùm regni solio te præcedam. Dixitq; rursus Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti. Tulitq; annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitq; eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitq; eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti. Dixit quoq; rex ad Ioseph: ego sum Pharao: absq; tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti Vertitq; nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca, Saluatorem mundi Deditq; illi vxorem Aseneth filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaq; Ioseph ad terram Ægypti.*

6. Gabaonitæ rogant Iosue vt citò ascendat & liberet eos. Ios. 10. 6. *Habitatores autem*

Gabaon vrbis obsessæ miserunt ad Iosue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, & dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio seruorum tuorum: ascende citò, & libera nos, ferq; præsidium: Conuenerunt enim aduersum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis.

7. Aaron cum sanguine alieno ingreditur sancta sanctorum. Exod. 30. 10. *Et deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino.* Leu. 16. 2. 3. *Et præcepit ei, dicens: loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, vt non moriatur, (quia in nube apparebo super oraculum) nisi hæc ante fecerit: Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum.* Vers. 15. 16. 17. *Cumq; mactauerit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem eius intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, vt aspergat à regione oraculi, & expiet Sanctuarium ab immunditijs filiorum Israël, & à præuaricationibus eorum, cunctisq; peccatis. Iuxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonij, quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum.* &c. De Christo verò, qui proprio sanguine introiuit, dicitur. Hebr. 9. 11. 12. 13. 14. *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum peramplius & perfectius tabernaculum non manufactum,*

est, non huius creationis; neq; per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ asperſus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti?

8. Vt ſurgit, aut erigitur arca teſtamenti, diſsipantur inimici Domini. Numer. 10. 33. 34. 35. 36. Profecti ſunt ergo de Monte Domini viam trium dierum, arcaq; fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres prouidens caſtrorum locum. Nubes quoq; Domini ſuper eos erat per diem cùm incederent. Cumq; eleuaretur arca, dicebat Moyſes: Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua. Cùm autem deponeretur, aiebat: reuertere Domine ad multitudinem exercitus Iſraël.

9. Samſon portas Gazæ tollit, & infert in montem. Iudic. 16. 1. 2. 3. Abiit quoq; in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſusq; eſt ad eam. Quod cùm audiſſent Philiſtiim, & percrebuiſſet apud eos, intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum, poſitis in portis ciuitatis cuſtodibus: & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, vt facto mane exeuntem occiderent. Dormiuit autem Samſon vſq; ad medium noctis:

& inde consurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis, & sera, impositasq; humeris suis, portauit ad verticem montis qui respicit Hebron. Christus Adamum & Euam portas nostras per quas vitam, & peccatum accepimus ducit ad cælum. Plura superiùs cap. 2.

10. Dauid omnia iam reducit quæcunque rapuerunt Amalechitæ, & mittit dona de præda socijs, & senioribus. 1. Reg. 30. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. *Eruit ergo Dauid omnia, quæ tulerant Amalechitæ, & duas uxores suas eruit. Nec defuit quisquam à parvo usq; ad magnum, tam de filijs, quam de filiabus, & de spolijs, & quæcunq; rapuerant, reduxit Dauid. Et tulit vniuersos greges & armenta, & minauit ante faciem suam: dixerunt q; hæc est præda Dauid. Venit autem Dauid ad ducentos viros, qui lassi subsistere rant, nec sequi potuerant Dauid, & residere eos fecerat in torrente Besor: qui egressi sunt obuiam Dauid, & populo qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum, salutauit eos pacifice. Respondens q; omnis vir pessimus, & iniquus de viris, qui ierant cum Dauid, dixit: quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quicquam de præda, quam eripuimus: sed sufficiat vnicuiq; uxor sua & filij: quos cum receperint, recedant. Dixit autem Dauid: Non sic facietis fratres mei de his, quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant aduersum nos, in manus nostras. nec audiet vos quisquam super sermone hoc: æqua*

enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum & præfinitum, & quasi lex in Israël vsq; in diem hanc. Venit ergo Dauid in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini: His, qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad meridiem, & qui in Iether, & qui in Sephamoth, & qui in Esthamo, & qui in Raënal, & qui in vrbibus Ierameel, & qui in vrbibus Ceni, & qui in Arama, & qui in lacu Asan, & qui in Athach, & qui in Hebron, & reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipse, & viri eius.

11. Arca testamenti introducitur in templum Salomonis cum maxima festiuitate. 3. Reg. 8. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Tunc congregati sunt omnes maiores natu Israël cum principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Israël ad regem Salomonem in Ierusalem: vt deferrent arcam fœderis Domini, de ciuitate Dauid, id est, de Sion. Conuenitq; ad regem Salomonem vniuersus Israël in mense Ethanim, in solemni die: ipse est mensis septimus. Venerunt q; cuncti senes de Israël, & tulerunt arcam sacerdotes, & portauerunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vasa Sanctuarij, quæ erant in tabernaculo: & ferebant ea sacerdotes & leuitæ. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israël, quæ conuenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oues & boues absq;

æstimatione & numero. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum subter alas Cherubim. Vers. 10. 11. *In arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in eis Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filijs Israël, cùm egrederentur de terra Ægypti. Factum est autem cùm exissent sacerdotes de Sanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini domum Domini.*

12. Elias quadraginta dierum spacio ascendit in montem Dei Horeb. Idem iubetur stare in monte coram Domino. Idem cùm primò diuiso Iordane, transisset eum, ascendit per turbinem in cælum. De primo. 3. Reg. 19. 6. 7. 8. *Respexit & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: Comedit ergo, & bibit, & rursum obdormiuit. Reuersusq; est angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitq; illi: Surge, comede: grādius tibi restat via. Qui cùm surrexisset, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsq; ad montem Dei Horeb.* De secundo ibid. Vers. 11. *Et ait: Egredere, & sta in mõte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus.* De tertio. 4. Reg. 2. 8. 9. 10. 11. 12. &c.

12. 13. 14. *Tulitq; Elias pallium suum, & inuoluit illud, & percussit aquas quæ diuisæ sunt in vtrãq; partem, & transierunt ambo per siccum. Cumq; transissent, Elias dixit ad Elisæum: postula quod vis vt faciam tibi antequam tollar à te. Dixit Elisæus: obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus. Qui respondit: rem difficilem postulasti: attamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit. Cumq; pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumq; : & ascendit Elias per turbinem in cælum, Elisæus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius. Et non vidit eum amplius: aprehenditq; vestimenta sua, & scidit illa in duas partes. Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reuersusq; stetit super ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt diuisæ, & dixit: Vbi est Deus Eliæ etiam nunc? percussitq; aquas, & diuisæ sunt huc, atq; illuc, & transiit Elisæus.*

13. Elisęus ascendens montem maledicit iluforibus, vt cap. 2. memb. 4. diximus. Christus Iudæis, à quibus aufert Apostolos, & deuorantur à bestijs.

14. Mardochæus sella & equo regis vehitur. Esther. 6. 8. 9. vt suprà cap. 2. membr. 5. diximus. Christus Dominus propria virtute, non Aman; sed Angelis conducentibus.

***

CAPVT XVI.

Ascensionis Dominicæ prophetiæ.

DEut. 33. 26. 27. 28. 29. *Non est Deus alius vt Deus rectissimi; ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna: eiciet à facie tua inimicum, diceréq; conterere. Habitabit Israël confidenter, & solus. Oculus Iacob in terra frumenti & vini, cæliq; caligabunt rore. Beatus es tu Israël: quis similis tui popule qui saluaris in Domino? Scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Psalm. 3. 3. 4. *Multi dicunt animæ meæ. Non est ipsi salus in Deo eius. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Psalm. 8. 2. 3. 4. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem. Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum; lunam & stellas quæ tu fundasti.* Psalm. 10. 5. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.* Psalm. 17. 10. 11. 12. 13. *Inclinauit cælos, & descendit; & caligo sub pedibus eius. Et ascendit super Cherubim, & volauit: volauit super pennas ventorum. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebrosa aqua in nubibus aëris. Præfulgore in conspectu*

spectu eius nubes transierunt, grando, & carbones ignis. Similia. 2. Reg. 22. 10. 11. *Inclinauit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus eius. Et ascendit super Cherubim, & volauit, & lapsus est super pennas venti.* Psalm. 18. 6. 7. *In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius. Et occursus eius vsq; ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius.* Psalm. 20. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Domine in virtute tua lætabitur rex: & super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi. Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eum. Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Quoniam rex sperat in Domino, & in misericordia Altissimi non commouebitur. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.* Vers. 14. *Exaltare Domine in virtute tua: Cantabimus & psallemus virtutes tuas.* Psalm. 23. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo*

ximo suo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob. Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio. Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Psalm. 56. 11. 12. Quoniam magnificata est vsq; ad cælos misericordia tua, & vsq; ad nubes veritas tua. Exaltare super cælos Deus: & super omnem terram gloria tua. Psalm. 67. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia. Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi. Exultate in conspectu eius, turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum. Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant,, qui habitant in sepulchris. Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto: terra mota est, etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israël. Vers. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Mons

Dei,

Dei, mons pinguis. Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos? Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in Sancto. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus: etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum. Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum, Deus noster, Deus saluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis. Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis. Vers. 25. 26. Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei: regis mei qui est in sancto. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuenculatarum tympanistriarum. Psalm. 96. 8. 9. 10. 11. 12. Audiuit, & lætata est Sion. Et exultauerunt filiæ Iuda propter iudicia tua Domine: Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes Deos. Qui diligitis Dominum, odite malum: Custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Lætamini iusti in Domino: & confitemini memoriæ sanctificationis eius. Psalm. 98. 1. 2. 3. 4. 5. Dominus regnauit, irascantur populi: qui sedet super Cherubim, moueatur terra. Dominus in Sion magnus: & excelsus super

omnes

omnes populos. Confiteantur nomini tuo magno; quoniam terribile & sanctum est: & honor regis iudicium diligit. Tu parasti directiones: iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti. Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est. Vers 9. *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus Dominus Deus noster.* Psalm. 102. 19. 20. 21. 22. *Dominus in cælo parauit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur. Benedicite Domino omnes angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius qui facitis voluntatem eius. Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.* Psal. 103. 1. 2. 3. 4. *Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Confessionem, & decorem induisti: amictus lumine sicut vestimento: Extendens cælum sicut pellem: qui tegis aquis superiora eius. Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum. Qui facis angelos tuos spiritus: & ministros tuos ignem urentem.* Psalm. 107. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; cantabo, & psallam in gloria mea. Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine: & psallam tibi in nationibus. Quia magna est super cælos misericordia tua: & vsq; ad nubes veritas tua. Exaltare super*

cælos

cælos Deus, & super omnem terram gloria tua: ut liberentur dilecti tui. Saluum fac dextera tua, & exaudi me. Psalm. 112. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usq; in seculum. A solis ortu usq; ad occasum, laudabile nomen Domini. Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra?* Psalm. 138. 8. 9. 10. 11. 12. *Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua. Et dixi: forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Fecit idem Christus Dominus per sanguinem suum ascensum purpureum. Cant. 3. 10. *Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constrauit propter filias Ierusalem.* Isai. 4. 2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui saluati fuerint de Israël.* Ibid. cap. 9. 3. 4. 5. *Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius*

superasti,

superasti, sicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem & cibus ignis. Alludit ad Iudicum cap. 7. Vers. 22. *Et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. Immò sitq; Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant.* Cap. 19. 1. *Onus Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti a facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio.* Mittit Dominus postea qui confringat idola Aegypti, Apostolos. Cap. 63. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torcular? Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum: Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo annus redemptionis meæ venit. Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit qui adiuuaret: & saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super*

per multitudinem bonorum domui Israël, quæ largitus est eis secundùm indulgentiam suam, & secundùm multitudinem misericordiarum suarum. Et dixit: veruntamen populus meus est, filij non negantes, & factus est eis saluator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & angelus faciei eius saluauit eos, in dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus seculi. Ezech. 11. 2. 3. *Et ascendit gloria Domini de medio ciuitatis, stetitq; super montem, qui est ad Orientem vrbis.* Daniel. 7. 13. 14. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.* Osee. 5. 15. *Vadens reuertar ad locum meum, donec deficiatis & quæratis faciem meam.* Quis locus ille sit sequens prophetia docet. Amos. 9. 6. 7. *Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit: qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen eius: Nunquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi, filij Israël, ait Dominus? Nunquid non Israël ascendere feci de terra Ægypti: & Palæsthinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene?* Quas aquas effudit in die Pentecostes. Abdiæ. Vers. 21.

Et ascen-

Et ascendent saluatores in montem Sion iudicare montem Esau : & erit Domino regnum. Mich. 2. 12. 13. *Congregatione congregabo Iacob totum te : in vnum conducam reliquias Israël, pariter ponam illum quasi gregem in ouili, quasi pecus in medio caularum, tumultuabuntur à multitudine hominum. Ascendet enim pandens iter ante eos : diuident & transibunt portam, & ingredientur per eam : & transibit rex eorum coram eis : & Dominus in capite eorum.* Habac. 3. 11. *Sol*, (Christus) *& luna* (B. Virgo) *steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.*

CAPVT XVII.

Ascensionis Dominicæ in nouo testamento Veritas.

MAtth. 28 16. 17. 18. 19. 20. *Vndecim autem discipuli abierunt in Galileam in montem vbi constituerat illis Iesus, & videntes eum adorauerunt : quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes : baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti : docẽtes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis : & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi.* Marc. 16. 19. 20. vt suprà cap. 14. Luc. 24. 50. 51. 52. 53. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam : & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.*

Et

Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno; & erant semper in templo, laudantes, & benedicentes Deum: Amen. Ioan. 3. 13. *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Ibidem cap. 6. 62. *Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat priùs?* Cap. 12. 31. *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eÿcietur foras.* Cap. 20. 17. *Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis. Ascendo ad Patrem meum, & Patrẽ vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Act. 1. 9. 10. 11. *Et cùm hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq; intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælũ? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum,* Ibidem cap. 2. 32. 33. 34. 35. 36. *Hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre effudit hunc quem vos videtis, & auditis. Non enim Dauid ascendit in cælum: dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certissimè ergo sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum*

fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Cap. 3. 20. 21. *Vt cùm venerint tempora refrigerij à conspectu Domini, & miserit eum qui prædicatus est vobis, Iesum Christum, quem oportet quidem cælum suscipere vsq; in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum à sæculo prophetarum.* Rom. 10. 6. *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cælum? id est, Christum deducere.* 1. Corinth. 15. 8. *Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo, visus est & mihi.* Ephes. 4. 8. 9. 10. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit, primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia.* Hebr. 4. 14. *Habentes ergo pontificem magnum qui penetrauit cælos, Iesum Filium Dei: teneamus spei nostræ confessionem.* Ibidem cap. 7. 26. 27. 28. *Talis enim decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo. Lex enim constituit homines sacerdotes, infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.* Cap. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. vt suprà capite 15. membr. 7. & Vers. 24. 25. 26. 27. 28. *Non enim in ma-*

in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neq; vt sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundò sine peccato apparebit expectantibus se in salutē. Possunt hîc Christiani Christum ascendentem alloqui. Ex Cant. 1 2. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescētulæ dilexerunt te. Trahe me post te, curremus in odorē vnguentorum tuorū.* Et B. Virginem ex Cant. 5. 17. *Quo abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierū? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecū?* Matri etiam apparuisse, verisimile magis & piè credendum.

CAPVT XVIII.

Manifestatio Christi quomodo manifestationi Iosephi respondeat.

PRIMO. Multoties vterq; cognoscitur, alter à discipulis, alter à fratribus.

2. Prius vterq; suos cognoscit antequam à suis cognoscatur. Gen. 42. 7. 8. *Et cùm agnouisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogās eos vnde venistis? Qui responderunt: de terra Chanaan, vt emamus victui necessaria. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis.* Luc. 24. 15.

Et factum est, dum fabularentur, & secum quò rerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis: oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.

3. Vterq; peregrinus in aliena terra. Iob. 19. 15. *Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum.* Luc. 24.18. *Et respondens vnus cui nomin Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus?*

4. Vterq; antequam oculis suorum aperirentur, suos exercet, probat, corrigit. Genes. 42. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Iam nunc* (inquit Ioseph) *experimentum vestri capiam, per salutem Pharaonis non egredieminihinc, donec veniat frater vester minimus. Mittite ex vobis vnum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis vtrum vera an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus. Die autem tertia eductis de carcere, ait. Facite quæ dixi, & viuetis: Deum enim timeo. Si pacifici estis, frater vester vnus ligetur in carcere: vos autem abite, & ferte frumenta quæ emistis, in domus vestras, & fratrem vestrum minimum ad me adducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini.* Vers. 24. 25. *Auertitq; se parumper, & fleuit: & reuersus locutus est ad eos. Tollensq; Simeon, & ligans illis præsentibus, iussit ministris vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis*

suprà

suprà cibarijs in viam : qui fecerunt ita, Vers. 33. 34. *Qui ait nobis : Sic probabo quod pacifici sitis: Fratrem vestrum vnum dimittite apud me, & sibaria domibus vestris necessaria sumite, & abite, fratremq; vestrum minimum adducite ad me, & sciam quod non sitis exploratores : & istum, qui tenetur in vinculis recipere possitis : ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam.* Marc. 16. 14. *Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia ijs, qui viderant eum resurrexisse non crediderunt.* Luc. 24. 25. 26. *Et ipse dixit ad eos: ô stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ! Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

5. Neutra manifestatio est facta sine aliqua specie simulationis præmissa : Fratres enim Ioseph à fera pessima fratrẽ deuoratum significant, & imponunt alienum sanguinem vesti pro fratris sui sanguine. Genes. 37. 31. 32. 33. 34. *Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt : mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent : Hanc inuenimus : vide vtrum tunica filij tui sit, an non. Quam cùm agnouisset pater, ait : Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph*, &c. Discipuli, & maximè Petrus nunc aliud de Christo confitentur quàm Matth. 16. 21. 22. 23. *Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam & multa pati à senioribus, & scribis,*

& principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine: non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro: vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

6. In vtraq; manifestatione; de vtroq;, sensus ad tempus amittitur vt gaudium sit postea maius: illi dicunt Ioseph fratrem vterinum mortuum: discipuli sperabant quod esset redempturus Israël. Gen. 44.19.20. *Interrogasti priùs seruos tuos: Habetis patrem aut fratrem? & nos respondimus tibi domino meo: Est nobis pater senex, & puer paruulus, qui in senectute illius natus est; cuius vterinus frater mortuus est: & ipsum solum habet mater sua, pater verò tenerè diligit eum.* Luc. 24.21. *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quòd hæc facta sunt.*

7. Vterq; cognitus in fractione panis, Ioseph statim post conuiuium, Christus in fractione panis. Gen. 45. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Non sepotorat vltrà cohibere Ioseph multis coram astantibus: vnde præcepit vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. Eleuauit q; vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptij omnisq; domus Pharaonis. Et dixit fratribus suis; Ego sum Ioseph, adhuc pater meus viuit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cùm accessissent*

fissent propè: ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pauere, neq; vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. Biennium est enim quòd cœpit fames esse in terra: & adhuc quinq; anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti: præmisit q; me Deus vt reseruemini super terram, & escas ad viuendũ habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti. Luc. 24. 30.31.32.33.34.35 *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nónne cor nostrũ ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant, dicentes: Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.*

8. Vtriusq; cognitio in amorem, dilectionem & incredibilẽ quandam lætitiã desinit. Gen. 45. 16.17.18.19.20. *Auditũq; est, & celebri sermone vulgatũ in aula regis: venerunt fratres Ioseph, & gauisus est Pharao, atq; omnis familia eius. Dixitq; ad Ioseph vt imperaret fratribus suis, dicens: Onerantes iumenta, ite in terrã Chanaã, & tollite inde patrem vestrũ,*

& cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ. Præcipe etiam vt tollant plaustra de terra Ægypti, ad subuectionem paruulorum suorum ac coniugum: & dicito: Tollite patrem vestrum, & properate quantocius venientes. Nec dimittatis quidquam de suppellectili vestra: quia omnes opes Ægypti vestræ erunt. Luc. 24. 32. *Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Vers. 41. *Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?* Ioan. 20. 20. *Et cùm hoc dixisset ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli, viso Domino.* Ibid. cap. 21. 15. 16. 17. *Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait ille: etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò; amas me, & dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: pasce oues oues meas.*

9. Plenam pacem vterq; offert. Genes. 45. 3. 4. 5. *Et dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph: adhuc pater meus viuit. Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cùm accessissent propè ego sum ait, Ioseph frater vester, quem vendi-*

vendidistis in Ægyptum. Nolite pauere, neq; vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. Luc. 24. 36. 37. 38. 39. 40. *Dum autem hæc loquuntur stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. Conturbati verò, & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes.*

10. Excusat vterq; suos. Genes. 45. 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum; qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti.* Ibidem cap. 50. 19. 20. 21. *Quibus ille respondit nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarũ cernitis, & saluos faceret multos populos. Nolite timere: ego pascam vos & paruulos vestros, consolatusq; est eos, ac blandè & leniter est locutus.* Luc. 23. 34. *Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes verò vestimenta eius, miserunt sortes.*

11. Explicat vterq; suas opes apud fratres. Genes. 43. 34. *Sumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorq; pars venit Beniamin ita vt quinq;*

partibus excederet. Biberunt q3 & inebriati sunt cum eo. Matth. 28. 18. 19. 20. *Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra; euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti: docẽtes eos seruare omnia quæcunq3 mandaui vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq3 ad consummationem seculi.* Marc. 16. 15. 16. 17. 18. *Et dixit eis: euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur nouis serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Ostendit & manus & latus. Luc. 24. 39. *Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ioan. 20. 20. *Et cùm hoc dixisset ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino.* Dedit Spiritum sanctum. Ioan. 20. 21. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum,* &c.

12. Stupent fratres & discipuli ad tam mirabilem mutuam recognitionem. Genes. 45. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Et dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph: adhuc pater meus viuit. Non poterant respon-*

dere

dere nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer: Accedite inquit ad me. Et cùm accessissent propè, ego sum, ait, Ioseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pauere, neq; vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. Biennium est enim, quòd cœpit fames esse in terra: & adhuc quinq; anni restant quibus nec arari poterit nec meti. Præmisitq; me Deus vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti. Festinate & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Ioseph. Deus fecit me dominum vniuersæ terræ Ægypti: descende ad me: ne moreris, & habitabis in terra Gessen. &c. Luc. 24 37. 38. 39. 40. 41. Conturbati verò, & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus: & mirantibus præ gaudio dixit. Habetis hic aliquid, quod manducetur?

13. Vterq; conuiuatur. Genes. 43. 31. 32. 33. 34. Rursumq; lota facie egressus continuo se,

se, & ait: ponite panes. Quibus appositis, seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, Ægyptijs quoq; qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptijs comedere cum Hebræis, & profanum putant huiusmodi conuiuium) sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam. Et mirabantur nimis, sumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorq; pars venit Beniamin, ita vt quinq; partibus excederet. Biberuntq; & inebriati sunt cum eo. Luc. 24.41.42.43.44.45.46.47.48.49. *Adhuc autem illis non credentibus: & mirantibus præ gaudio dixit. Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma. Vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in ciuitate quoadusq; induamini virtute ex alto.*

14. Vterq; legationem expedit magnificam Ioseph ad patrem: Christus ad totum mundum. Genes. 45. 13. *Nunciate patri meo vniuersam*

sam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in Ægypto: festinate, & adducite eum ad me. Matth. 28. 19. 20. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docete eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi.* Marc. 16. 15. 16. vt suprà membr. 11.

15. Vterq; magnificæ legationis dona mittit. Gen. 45. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Præcipe etiam vt tollant plaustra de terra Ægypti ad subuectionem paruulorum suorum ac coniugum: & dicito: tollite patrem vestrum, & properate quantocius venientes. Nec dimittatis quicquam de suppellectili vestra: quia omnes opes Ægypti vestræ erunt. Feceruntq; filij Israël vt eis mandatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra secundùm Pharaonis imperium: & cibaria in itinere. Singulis quoq; proferri iussit binas stolas: Beniamin verò dedit trecentos argenteos cum quinq; stolis optimis: tantundem pecuniæ & vestium mittens patri suo, addens & asinos decem, qui subueherent ex omnibus diuitijs Ægypti: & totidem asinas, triticum in itinere, panesq; portantes. Dimisit ergo fratres suos, & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via.* Christus sacerdotalem dignitatem, & suam perpetuam assistentiam, & Spiritus sancti charismata dat. Ioan. 20. 21. 22. 23. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum: quorum*

rum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Matth. 28. 20. *Docete eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi.* Actor. 2. 1. 2. 3. 4. *Et cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repentè de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & replenit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditq; supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.*

16. Veram gloriæ viam ostendit vterq;: priùs pati & mori, tum resurgendo triumphare & tandem ratione Christi prædicari in nomine eius indulgentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes. Porro hac ascensione Domini tolli errorem vbiquetistarum docebit caput secundum libri 7.

CAPVT XIX.

Spiritus sanctus promittitur & datur.

FIGVRAE. 1. Ioseph constitutus à Pharaone super totam Aegyptum, multa dona communicat suis. Gen. 41. 41. *Dixitq; rursus Pharao ad Ioseph: ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti.* Ibid. cap. 42. 25. *Tollensq; Simeon, & iubens illis præsentibus, iussit ministris vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis suprà cibarijs in viam: qui fecerunt*

runt ita. Cap. 43. 31. 32. 33. 34. *Rursumq; lota facie egressus, continuit se, & ait: ponite panes. Quibus appositis, seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, Ægyptijs quoq; qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptijs comedere cum Hebræis, & profanum putant huiusmodi conuiuium) sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam. Et mirabantur nimis, sumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorq; pars venit Beniamin, ita vt quinq; partibus excederet. Biberuntq; & inebriati sunt cum eo.* Cap. 45. 21. 22. 23. *Fecerunt q; filij Israël vt eis mandatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra, secundùm Pharaonis imperium: & cibaria in itinere. Singulis quoq; proferri iussit binas stolas: Beniamin verò dedit trecentos argenteos cum quinq; stolis optimis: tantundem pecuniæ & vestium mittens patri suo, addens & asinos decem, qui subueherent ex omnibus diuitijs Ægypti: & totidem asinas, triticum in itinere, panesq; portantes.*

2. Lex datur in monte Sinai. Exod. 19. 17. 18. 19. 20. *Cumq; eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorũ steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat: eo quòd descendisset Dominus super eũ in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratq; omnis mons terribilis. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixiùs tẽdebatur: Moyses loquebatur & Deus respõdebat ei. Descenditq; Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, & vocauit Moysen in cacumen eius,*

Ibidem

Ibidem cap. 31. 18. *Deditq; Dominus Moysi, completis huiuscemodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonij lapideas, scriptas digito Dei.* Cap. 34. 27. 28. *Dixitq; Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecũ & cum Israël pepigi fœdus. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Deut. 4. 11. 12. 13. 14. *Et accessistis ad radices montis qui ardebat usq; ad cælum: erantq; in eo tenebræ & nubes, & caligo. Locutusq; est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis. Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit vt faceretis, & decem verba quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. Mihiq; mandauit in illo tempore vt docerem vos ceremonias & iudicia, quæ facere deberetis in terra, quam possessuri estis.* Ibidem cap. 5. 22. *Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis, & nubis, & caligine, voce magna, nihil addens amplius: & scripsit eam duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi.* Cap. 10. 1. 2. 3. 4. *In tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem, faciesq; arcam ligneam, & scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his, quas ante confregisti, ponesq; eas in arca. Feci igitur arcam de lignis setim. Cumq; dolassem duas tabulas lapideas instar priorum ascendi in montem, habens eas in manibus. Scripsitq; in*

tabulis

tabulis iuxta id, quod priùs scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est: & dedit eas mihi.

3. Festum Pentecostes celebratur & annus iubilæus. Exod. 23. 16. *Et solennitatem messis primitiuorum operis tui, quæcunq; seminaueris in agro, solennitatem quoq; in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.* Ibidem cap. 34 22. *Solennitatem hebdomadarum facies tibi in primitijs frugum messis tuæ triticeæ, & solennitatem, quãdo redeunte anni tempore cuncta conduntur.* Leuit. 23. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, vsq; ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. Offeretis q; cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento vnum, & arietes duos, & erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suauissimum Domino. Facietis & hircum pro peccato, duos q; agnos anniculos hostias pacificorum. Cum q; eleuauerit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino cedent in vsum eius. Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atq; sanctissimum: omne opus seruile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus*

vestris. Ibidem cap. 25. 8. 9. 10. 11. 12. *Numerabis quoq; tibi septem hebdomadas annorum, id est. septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem: & clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in vniuersa terra vestra. Sanctificabis q; annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ ipse enim est iubilæus. Reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisq; rediet ad familiam pristinam: quia iubilæus est, & quinquagesimus annus, Non seretis neq; metetis sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis: ob sanctificationem iubilæi. sed statim oblata comedetis.* Num. 28. 26. 27. 28. 29. 30. 31 *Dies etiã primitiuorum quãdo offeretis nouas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis & sancta erit: omne opus seruile non facietis in ea. Offeretis q; holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos septem; atq; in sacrificijs eorum simila oleo conspersa tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas, per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem, hircum quoq; qui mactatur pro expiatione: præter holocaustum sempiternum, & liba eius immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.* Deut. 16. 9. 10. 11. 12. *Septem hebdomades numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris, & celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui, & epulaberis*

beris coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, & leuites qui est intra portas tuas, aduena ac pupillus & vidua, qui morantur vobiscum: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus vt habitet nomen eius ibi: & recordaberis quoniam seruus fueris in Ægypto: custodies q3 ac facies quæ præcepta sunt.

PROPHETIAE. Psalm. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Psalm. 67. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus, &c.* Psalm. 103. 30. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ.* Sap. 1. 7. *Quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarium: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Isai. 44. 3. 4. 5. 6. *Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Iste dicet: Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu sua: Domino, & in nomine Israël assimilabitur. Hæc dicit Dominus rex Israël, & redemptor eius Dominus exercituum: Ego primus, & ego nouissimus, & absq3 me nõ est Deus.* Ezech. 11. 17. 18. 19. 20. 21. *Propterea loquere: Hæc dicit Dominus Deus: congregabo vos de populis & adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboq3 vobis humum Israël. Et ingredientur illuc & auferent omnes offensiones, cunctas q3 abominationes eius de illa.*

Et dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum: vt in praeceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantq; ea: & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum. Quorum cor post offendicula & abominationes suas ambulat, horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus. Ibidem cap. 36. 24. 25. 26. 27. 28. 29 30 *Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris, & adducam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum & spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in praeceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum: & saluabo vos ex vniuersis inquinamentis vestris: & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem. Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri, vt non portetis vltrà opprobrium famis in gentibus.* Cap. 39. 28. 29. *Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quòd transtulerim eos in nationes, & cõgregauerim eos super terram suam, & non dereliquerim quemquam ab eis ibi: Et non abscondam vltrà faciem meam ab eis, eo quòd effuderim spiritum meum super*

per omnem domum Israël, ait Dominus Deus. Ioel. 2. 28 29. 30. 31. 32. *Et erit post hæc: Effundam spiritum meum super omnem carnem & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Et dabo prodigia in cælo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et erit omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit: quia in monte Sion, & in Ierusalem erit saluatio, sicut dixit Dominus, & in residuis, quos Dominus vocauerit.* Aggæi. 2. 5. 6. *Et nunc confortare Zorobabel dicit Dominus: & confortare Iesu fili Iosedec sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum dicit Dominus exercituum) verbum quod pepigi vobiscum cùm egrederemini de terra Ægypti: & spiritus meus erit in medio vestrûm, nolite timere.* Ioan. 7. 37. 38. 39. *In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Ibidem cap. 14. 16. 17. 18. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Spiritum*

veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos veniam ad vos. Vers. 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.* Cap. 15. 26. 27. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Cap. 16. 7. 8. 9. 10. 11. *Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio: de peccato quidem, quia non crediderunt in me: de iustitia verò quia ad Patrem vado: & iam non videbitis me: de iudicio autem: quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Vers. 13. 14. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à semetipso: sed quæcunq; audiet, loquetur, & quæ venitura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Actor. 1. 5. *Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto nõ post multos hos dies.* Vers. 7. 8. *Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem superuenientis spi-*

ritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usq; ad vltimum terræ.

VERITAS. Ioan. 20. 22. *Hæc cùm dixisset insufflauit. & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.* Act. 2. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Et cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco; & factus est repentè de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditq; supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisq; lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes: Nónne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audiuimus vnusquisq; linguam nostram in qua nati sumus?* Vers. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. *Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt: cùm sit hora diei tertia; sed hoc est, quod dictum est per prophetam Ioël. Et erit in nouissimis diebus (dicit Dominus) effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones*

videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. Et erit omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Vers. 32. 33. Hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hunc quem vos videtis, & auditis. Ibidem cap. 8. 15. 16. 17. 18. 19. Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Cùm vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: date & mihi hanc potestatem, vt cuicunq; imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum, &c. Cap. 10. 44. 45. 46. 47. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Num-

quid

quid aquam quis prohibere potest vt non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Cap. 15. 8. *Et qui nouit corda, Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis.* Cap. 19. 6. *Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.*

* * *

LIBER SEPTIMVS.

DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTERAM PATRIS ET IVDICIARIA EIVS POTESTATE.

CAPVT PRIMVM.

CHRISTVS EST IN CAELIS AD dexteram Patris.

PROPHETIA. Psalm. 109.1. *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.*

VERITAS. Matth. 22. 41. 42. 43. 44. 45. 46. *Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens. Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? & nemo poterat ei respondere verbum: neq; ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius*

pliùs inserrogare. Marc. 16. 19. *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est in cælum & sedet à dextris Dei.* Luc. 20. 41. 42. 43. 44. *Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum, filium esse Dauid? & ipse Dauid dicit in libro psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? Dauid ergo Dominum illum vocat, & quomodo filius eius est?* Actor. 2. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. *Viri Israëlitæ audite verba hæc: Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigijs, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis: hunc definito consilio, & præscientia DEI traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis: quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim dicit in eum: prouidebam Dominum in conspectu meo meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear: Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ: & replebis me iucunditate cum facie tua.* Act. 7. 55. 56. 57. *Cùm autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dexteris Dei. Et ait: ecce video cælos apertos, & filiũ hominis stantẽ à dextris Dei. Exclamantes autem voce*

magna

magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Rom. 8. 34. *Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ephes. 1. 20. 21. 22. 23. *Quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus: super omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Hebr. 1. 1. 2. 3. *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissimè, diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & secula: qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansq; omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Ver. 10. 11. 12. 13. 14. *Et: tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent: & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: sede à dextris meis, quoadusq; ponam*

inimicos

inimicos tuos scabellum pedum tuorum? nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?

CAPVT II.

Christus secundùm humanam naturam non est vbiq;.

Hic obserua, Christiane lector, grauiter hallucinari & errare eos, qui Christum Dominum secundùm humanitatem docent esse vbiq;, quæ hæretica omninò est assertio & sacris scripturis ex diametro aduersa. Vt enim ascensionem Christi ad cælos tollit, ita & sessionem ad dexteram Patris; si enim secundùm eandem naturam ascendit, quomodo antequam ascendit ibi fuit? Simile iudicium si ab illo triumphali ascensu sedet à dextris Patris. *Lazarus* (inquit Christus ante passionem. Ioan. 11. 14. 15.) *mortuus est: & gaudeo propter vos vt credatis, quoniam non eram ibi,* (in Bethania scilicet) *sed eamus ad eum.* Timorem quoq; angelus pijs tribus mulieribus apud sepulchrum post resurrectionem Christi adimere volens, inquit Matth. 28. 5. *Nolite timere vos: scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis, non est hîc, surrexit enim sicut dixit venite & videte locum, vbi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit, & præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis.* Quæ omnia verba *hîc, surrexit, locus vbi positus erat, præcedit, ibi,* &c. Christi

sti secundùm humanam naturam vbiquitatem negant. Similis omnino locus est. Marci. 16. 6. 7. Apud D. Lucam verò duo angeli idem dicunt. Luc 24. 5. 6. 7. 8. Nec dissentiunt duo angeli in ascensione eius in vestibus albis astantes & dicentes. Act. 1. 11. *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Assumptus verò est corporaliter secundùm humanam naturam, ergo tali modo nobis nunc non adest, sed veniet. Est autem iam tali modo ad dexteram Patris, vt clarè D. Marcus asserit. *Marc. 16. 19. Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum & sedet à dextris Dei.* Nobiscum tamen est sua diuina gratia & gubernatione, & in sacro Eucharistiæ sacramento sacramentaliter, omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Matth. 28. 20.

CAPVT III.

Christus iudicaturus est viuos & mortuos, quod primò probatur ex propheticis scripturis veteris testamenti.

NOTA me hîc breuiter de ea potestate actuum, fusiùs enim ea de re egi libro tertio de quatuor nouissimis.

PROPHETIAE. Iob. 13. 8. 9. *Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini? Aut placebit ei quem celare nihil potest? aut decipietur vt homo*

vt homo, vestris fraudulentijs? Vers. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Tacete paulisper vt loquar quodcunq; mihi mens suggesserit. Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis? Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo: Verumtamen vias meas in conspectu eius arguam. Et ipse erit saluator meus: non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita. Audite sermonem meum, & enigmata percipite auribus vestris. Si fuero iudicatus, scio quod iustus inueniar; Quis est qui iudicetur mecum? veniat: quare tacens consumor?* Ibidem cap. 14. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Homo verò cùm mortuus fuerit, & nudatus atq; consumptus, vbi quaeso est? Quomodo si recedant aquae de mari, & fluuius vacuefactus arescat. Sic homo cùm dormierit, non resurget, donec atteratur celum? non euigilabit, nec consurget de somno suo. Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscõdas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei? Putásne mortuus homo rursum viuat? cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumeraasti, sed parce peccatis meis. Signasti quasi in saculo delicta, & curasti iniquitatem meam.* Cap. 31. 13. 14. *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent aduersum me. Quid enim faciam cùm surrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quaesierit quid respondebo illi?* Psal.

9. 5.

9. 5. *Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam: ſediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam.* Verſ. 8. 9. *Parauit in iudicio thronum ſuum, & ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iuſtitia.* Pſalm. 17. 13. 14. *Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt, grando, & carbones ignis. Et intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis.* Pſalm. 40. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.* Ego dixi: Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur & peribit nomen eius? Verſ. 12. *In hoc cognoui quoniam voluiſti me, quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.* Pſalm. 74. 3. *Narrabimus mirabilia tua: cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.* Pſalm. 95. 13. *Tunc exultabunt omnia ligna ſiluarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua.* Eccleſ. 3. 16. 17. *Nam pro peccato matris reſtituetur tibi bonum, & in iuſtitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui. & ſicut in ſereno glacies, ſoluentur peccata tua.* Ibidem cap. 12. 13. 14. *Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, &*

so, & omnibus, qui appropiant bestijs? & sic qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius. Vna hora tecum permanebit: si autem declinaueris, non supportabit. Sap. 4. 20. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum.* Ibid. cap. 5. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non illuxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis, quæ transit fluctuantem aquam: cuius, cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neq; semitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis, quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, sed tantùm sonitus alarum verberans leuem ventum: & scin-*

dens per viam itineris aërem : commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius, aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuò in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius : sic & nos nati, continuò desiuimus esse: & virtutis quidē nullum signum valuimus ostendere : in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia in inferno dixerunt hi, qui peccauerunt, Vers. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tanquam turbo veni diuidet illos : & ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas euertet sedes potentium.* Eccles. 19. 20. *Est nequitia, & in ipsa execratio : & est insipiens qui minuitur sapientia.* Isai. 2. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. *Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem & humiliabitur. Et super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan. Et super omnes montes excelsos,*

celsos, & super omnes colles eleuatos. Et super omnem turrim excelsam, & super omnem murum munitum, & super omnes naues Tharsis, & super omne quod visu pulchrum est. Et incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus solus in die illa: & idola penitus conterentur: & introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere terram. In die illa proiiciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi vt adoraret talpas & vespertiliones. Et ingredietur scissuras petrarum, & in cauernas saxorum à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere terram. Ibid. cap. 3. 13. 14. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui & principibus eius: vos enim depastæ estis vineam, & rapina pauperis in domo vestra. Cap. 13. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium vox sonitus regum gentium congregatarũ: Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul, à summitate cæli: Dominus, & vasa furoris eius, vt disperdat omnem terram. Vlulate, quia propè est dies Domini: quasi vastitas à Domino veniet. Propter hoc, omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet & conteretur. Torsiones & dolores tenebunt quasi parturiens, dolebunt, vnusquisq; ad proximum

suum stupebit, facies combustæ vultus eorum. Ecce dies Domini veniet, crudelis & indignationis plenus, & iræ, furorisq; ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea. Quoniam stellæ cæli, & splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & lumen non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala & contra impios iniquitatem eorum, & quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo. Super hoc cælum turbabo: & mouebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius. Cap. 66. 14. 15. 16. *Videbitis, & gaudebit cor vestrum & ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis. Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis; quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino.* Vers. 24. *Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui prauaricati sunt in me: Vermis eorum nō morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsq; ad satietatem visionis omni carni.* Ierem. 4. 19. 20. 21. 22. *Ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me; non tacebo, quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prælij. Contritio super contritionem vocata est, & vastata est omnis terra:*

repentè

repentè vastata sunt tabernacula mea, subitò pelles mea. Vsquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinæ? Quia stultus populus meus me non cognouit: filij insipientes sunt, & vecordes: sapientes sunt vt faciant mala, benè autem facere nescierunt. Ibidem cap. 30. 6. 7. *Interrogate, & videte si generat masculus, quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis: & conuersæ sunt vniuersæ facies in aruginem? væ, quia magna dies illa, nec est similis eius: tempusq; tribulationis est Iacob, & ex ipso saluabitur.* Vers. 24. *Non auertet iram indignationis Dominus, donec faciat & compleat cogitationem cordis sui: in nouissimo dierum intelligetis ea.* Ezech. 34. 17. *Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse iudico inter pecus & pecus, arietum & hircorum.* Dan. 12. 1. 2. *In tempore autem illo consurget Michaël princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui: & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt vsq; ad tempus illud. Et in tempore illo saluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Et multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium vt videant semper.* Vers. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Et dixi viro, qui erat indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis vsquequo finis horum mirabilium? Et audiui virum, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cùm eleuasset dexteram & sinistram suam in cælum, & iurasset per viuentem in æternum, quia in tempus, &*

tempora, & dimidium temporis. Et cùm completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur vniuersa hæc. Et ego audiui, & non intellexi. Et dixi, Domine mi, quid erit post hæc? Et ait: vade Daniel quia clausi sunt signatiq; sermones vsq; ad præfinitum tempus. Eligentur & dealbabuntur: & impiè agent impij, neq; intelligent omnes impij, porrò docti intelligent. Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta. Beatus, qui expectat, & peruenit vsq; ad dies mille trecentos triginta quinq;. Osee. 10. 7. 8. *Transtulit fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ. Et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israël: lappa, & tribulus ascendet super aras eorum: & dicent montibus: operite nos: & collibus: cadite super nos.* Ibidem cap. 13. 7. 8. 9. 10. *Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum: & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos. Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum. Vbi est rex tuus? maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis; & iudices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem, & principes.* Ioel. 1. 13. 14. 15. *Accingite vos, & plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei: quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium, & libatio. Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate senes omnes habitato-*

rii

res terra in domum Dei vestri : & clamate ad Dominum : A, a, a, diei: quia propè est dies Domini, & quasi vastitas à potente veniet. Ibidem cap. 2. 1. 2. 3. 4 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14 *Canite tubain Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: Quia venit dies Domini, quia propè est dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis: quasi manè expansum super montes populus multus & fortis: similis ei non fuit à principio, & post eum non erit usq; in annos generationis. Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neq; est qui effugiat eum. Quasi aspectus equorum, aspectus eorum: & quasi equites sic current. Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium. A facie eius cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam. Sicut fortes current: quasi viri bellatores ascendent murum: viri in viis suis gradientur, & non declinabunt à semitis suis. Unusquisq; fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt, sed & per fenestras cadent, & non demolientur. Urbem ingredientur, in muro current: domos conscendent per fenestras intrabunt quasi fur. A facie eius contremuit terra, moti sunt cæli: sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra*

eius, quia fortia & facientia verbum eius: magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis sustinebit eum? Nunc ergo dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem, sacrificium, & libamen Domino Deo vestro? Vers. 30. 31. *Et dabo prodigia in cælo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Cap. 3. 2. 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israël quos dispersérunt in nationibus, & terram meam diuiserunt. Et super populum meum miserunt sortem: & posuerunt puerum in prostibulo, & puellam vendiderunt pro vino vt biberent.* Vers. 13. 14. 15. 16. *Mittite falces, quoniam maturauit messis: venite, & descendite, quia plenum est torcular, exhubérarunt torcularia: quia multiplicata est malitia eorum. Populi populi in valle concisionis: quia iuxta est dies Domini in valle concisionis. Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dàbit vocem suam, & mouebuntur cæli, & terra: & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum*

Israël

Israël. Amos. 3. 8. *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* Ibidem cap. 5. 18. 19. 20. *Væ desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus: & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber. Nunquid non tenebræ dies Domini, & non lux: & caligo, & non splendor in ea?* Mich. 1. 3. 4. *Quia ecce Dominus egredietur de loco suo: & descendet, & calcabit super excelsa terræ. Et consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cera à facie ignis, & sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.* Nah. 1. 2. *Deus æmulator, & vlciscens Dominus, vlciscens Dominus, & habens furorem: vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.* Vers. 7. 8. 9. 10. *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis: & sciens sperantes in se, & in diluuio prætereunte, consummationem faciet loci eius: & inimicos eius persequentur tenebræ. Quid cogitatis contra Dominum? consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio. Quia sicut spinæ se inuicem complectuntur sic conuiuium eorum pariter potantium: consummentur quasi stipula ariditate plena.* Soph. 1. 14. 15. 16. 17. *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super ciuitates*

munitas, & super angulos excelsos, & tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt: & effundetur sanguis eorum, sicut humus, & corpora eorum sicut stercora. Aggæi. 2. 22. 23. *Loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens: Ego mouebo cælum pariter & terram. Et subuertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium: & subuertam quadrigam, & ascensorem eius: & descendent equi & ascensores eorum: vir in gladio fratris sui.* Zachar. 14. 3. 4. 5. 6. 7. *Et egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis. Et stabunt pedes eius in die illa super Montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem: & scindetur Mons oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem præruptu grandi valde, & separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem. Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium vsq; ad proximum: & fugietis sicut fugistis à facie terræmotus in diebus Oziæ regis Iuda; & veniet Dominus Deus meus, omnesq; sancti cum eo. Et erit in die illa: non erit lux, sed frigus & gelu. Et erit dies vna quæ nota est Domino, non dies neq; nox: & in tempore vesperi erit lux.* Malach. 3. 2. 3. 4. 5. 6. *Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Le-*

ui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui. Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me dicit Dominus exercituum. Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non estis consumpti. Ibidem cap. 4. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, & germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento. Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis, sub planta pedum vestrorum: in die, qua ego facio, dicit Dominus exercituum. Mementote legis Moysi servi mei quam mandaui ei in Horeb ad omnem Israël præcepta, & iudicia. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.

CAPVT IIII.

Eadem iudiciaria Christi potestas probatur ex Euangelistis.

MAtth. 16. 27. 28. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: & tunc

& tunc reddet vnicuiq; secundùm opera eius. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo. Ibidem cap. 24. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.* Vers. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. *Et tunc parebit signum filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate. Et mittet angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsq; ad terminos eorum. Ab arbore autem fici discite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas: ita & vos cùm videritis hæc omnia, scitote quia propè est in ianuis. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. De die autem illa, & hora nemo scit, neq; angeli cælorum nisi solus Pater. Sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis: sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vsq; ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis. Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur, duæ molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur. Vigilate*

ergo,

ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati: quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. Ibid. cap. 25. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. *Cùm autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: venite benedicti Patris mei, possidete paratũ vobis regnum à constitutione mundi; esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicentes. Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te, sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum: aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternũ qui paratus est diabolo, & angelis eius: esuriui enim, & nõ dedistis mihi manducare: sitiui, &*

non

non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & nō collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere & non miniſtrauimus tibi? Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam. Vide quoq; Marc. 13. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. Luc. 17. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. *Nam ſicut fulgur coruſcans de ſub cælo, in ea, quæ ſub cælo ſunt, fulget: ita erit Filius hominis in die ſua. Primùm autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac. Et ſicut factum eſt in diebus Noë, ita erit in diebus Filij hominis. Edebant, & bibebant: vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vſq; in diem qua intrauit Noëm arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth. Edebant, & bibebant, emebant, & vendebant, plantabant, & ædificabant. Qua die autem exijt Loth à Sodomis, pluit ignem, & ſulphur de cælo, & omnes perdidit: ſecundùm hæc erit qua die Filius hominis reuelabitur. In illa hora qui fuerit in tecto, & vaſa eius in domo, ne deſcendat tollere illa: & qui in agro, ſimiliter non redeat retrò. Memores eſtote vxoris Loth. Quicunq; quæſierit animam*

mam suam saluam facere, perdet illam, & quicunque perdiderit illam, viuificabit eam. Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur: duæ erunt molentes in vnum: vna assumetur, & altera relinquetur: duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur: Respondentes dicunt illi: vbi Domine? Qui dixit illis: vbicunq; fuerit corpus illuc congregabuntur & aquilæ. Ibidem cap. 21. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. Et erunt signa in sole & luna, & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi: nam virtutes cælorum mouebuntur, & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem: videte ficulneam, & omnes arbores: cùm producunt iam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri scitote quoniam propè est regnum Dei. Amen dico vobis quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt. Attendite autem vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaq;, omni tempore orantes, vt digni

habeas

habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Ioan. 5. 22. 23. *Neq; enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Vers. 25. 26. 27. 28. 29. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est quando mortui audient vocem Filij Dei: & qui audierint, viuent: Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*

CAPVT V.

Idem probatur ex actis & scriptis Apostolorum.

ACtorum. 1. 10. 11. *Cumq; intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt ei: viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum? sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum,* Ibidem cap. 10. 40. 41. 42. *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo: nobis qui manducauimus, & bibimus cum illo postquam resurrexit*

à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex viuorum & mortuorum. Cap. 17. 30. 31. *Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus vt omnes vbiq; pœnitentiam agant, eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Rom. 2. 15. 16. *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum, secundùm Euangelium meum per Iesum Christum.* 1. Corinth. 3 11. 12. 13. 14. 15. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusq; opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimẽtum patietur: ipse autẽ saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ibid. cap. 5. 12. 13. *Nónne de eis, qui intus sunt, vos iudicatis? nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.* 2. Corinth. 5. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* 1. Thess. 4. 16. *Deinde*

nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. 2. Thess. 1. 6. 7. 8. 9. 10. Si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant: & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cælo cum angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi; qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius: cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. 2. Timoth. 4. 1. 2. Testificor coram Deo, & Iesu Christo qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportunè, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Vers. 7. 8. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum eius. Festina venire ad me citò. 1. Pet. 4. 3. 4. 5. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his, qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem blasphemantes. Qui reddent rationem ei,

qui

qui paratus est iudicare viuos & mortuos. 2. Pet. 2. 9. 10. 11. 12 Nouit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos: magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationem q3 contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes: vbi angeli fortitudine, & virtute, cum sint maiores, non portant aduersum se execrabile iudicium. Hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem, & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt. Heb. 9. 27. 28. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundò sine peccato apparebit expectantibus se in salutem. Ibidem cap. 10. 26. 27. 28. 29. 30. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim, qui dixit: mihi vindicta & ego retribuam: & iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum. Iudæ. 1. 6. Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum,

sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit. Apocal. 1. 7. 8. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen. Ego sum* A. *&* Ω. *principium, & finis, dicit Dominus Deus: qui est, & qui erat, & qui venturus est, Omnipotens.* Ibidem cap. 6. 13. 14. 15. 16. 17. *Et stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno mouetur, & cælum recessit sicut liber inuolutus, & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt: & reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium: & dicunt montibus, & petris: cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare?* Cap. 14. 6. 7. *Et vidi alterum Angelum volantem per mediũ cæli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum: dicens magna voce; timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare, & fontes aquarum.* Cap. 20. 11. 12. 13. 14. 15. *Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, & cælum, & locus non est inuentus eis. Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber*

apertus

apertus est qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his: quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum, & dedit mare mortuos, qui in eo erant: & mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: & iudicatũ est de singulis secundùm opera ipsorum. Et infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Cap. 22. 20. *Dicit qui testimonium perhibet istorum. Etiam venio citò: Amen. Veni Domine*

IESV.

LAVS DEO.

CARMEN TRICOLON TETRASTROPHON AD LECTOREM.

Vos qui superbo carmina promitis
Ioui, marinum qui colitis Ducem,
Et qui tenebrarum Tyranno
Ne rapiat pia thura fertis.
Vos qui dearum ad sydera tollitis
Nugas, canentes Pierio sono
Tam dulce carmen, quàm nec Orpheus,
Cum modulis lapides moueret.
Vos qui in cruenta saluificum Deum
Mactastis ara, fœdaq; Sabbata
Exposa millenis ab annis,
Perniciem in propriam patratis.
Librosq; voluens hæreticum genus
Frustra sacratos, quod canis improbe
Expectat infernalis ore
Cerberus, & quod amanda Petrè
Submersit vndis prora fugacibus:
Nec non sacerdos sacra parans Deo
Plebiq; percharus, quod ore
Melliſluo pia verba profers.
Senum cohortes, & iuuenum chori,
Deuota musis turba loquacibus,
Guzis redundantes, adeste,
Pauperie miseraq; pressi.

Iam

Iam vita Christi prodiit inclyta,
Iam sydus omnes irradiat nouum
Fulgore terras, iam modestus
Ore LEO *repulit catenas:*
Et viua NARDVS *iam exsaciat suo*
Odore nares, quem nec amabilis
Fauonius iucundo ab axe
Attulit, inseruitq; campis.
Huc ergo festini, huc pede concito
Meate, & atris pellite sedibus
Opes inescantes senectam,
Quos teneri recreant odores.

F. Ioannes Scheuenhusius Benedictinus in Abdinckhoff.

AD PASTORES ET CONCIONATORES AVCTORIS ADMONITIO.

RATIO INVENIENDI MATERIAM in hoc opusculo de singulis Euangelijs per annum occurrentibus.

Heb.13.20. *1.Pet.5.4.* *Apoc.13.8.* *Apoc.5.1. 2.3.4.&c.*

HAbetis, optimi Pastores, in hac Aurea Christianorum Gemma, magnum pastorem ouium, atq; adeò principem pastorum & Agnũ ab origine mundi occisum, qui solus dignus inuentus est ex his, qui sunt in cælo & in terra & subtus terram accipere de dextra sedẽtis in Throno librum scriptum intus & foris signatum sigillis septem, & soluere signacula eius, quæ septem hisce de Christo libris complexi sumus, ita, vt nullum per anni curriculum Euangelium occurrat, in quo non vel Diuinitatis illius fiat mentio, in qua ad librum primum recurre, vel humanæ naturæ assumptæ, de qua vide omnia libro secundo, vt maximè

sunt

sunt Incarnationis, & Natiuitatis Christi festa, & Dominicæ circa easdem festiuitates occurrentes, & festa Deiparæ Virginis. Si verò de qualitatibus Christi agitur, reuolue librum tertium. Si de S. Ioanne Baptista fiat mentio, vt maximè in Aduentu, & de ijs, quæ à Christo Domino gesta sunt ab anno ætatis trigesimo vsq; ad passionem, tam in miraculis patrandis, quàm peccatoribus ad viam iustitię reuocandis, liber quartus legendus erit. Si de varijs Christo illatis iniurijs & passione Euangelium erit, quintus liber omnem dicendi occasionem ostendet. A Resurrectione Dominica ad festum S. Trinitatis omnia penè Euangelia continent libri duo postremi, sextus & septimus. De reliquo me meosq; vlteriores in rē Ecclesiasticam & Theologicam conatus, ardentissimis apud Deum Optimum Maximum precibus vestris, & publicis ex Cathedris vestris pro me petitis ouiū vestrarum suffragijs, rogo commendatos habete, quoad omnes tandem occurramus in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis & plenitudinis CHRISTI. *Ephes.* 4. 13.

* * *

PADERBORNAE
excudebat Matthæus
Pontanus.




ANNO DOMINI
M. DC. IIII.


ERRATA SIC CORRIGE.

Nota per p. paginam, l. lineam, f. à fine, lē. lege, d. dele denotari.

Pagina 3. l. 7. lege, non reuersurum in corruptionem. p. 13. l. 6. f. e. 8. 20. p. 20. l. 1. le. 12. 1. ibid. l. 8. f. le. veniet. p. 26. l. 8. le. 9. 5. p. 30. l. 6. le. 43. 3. ibid. l. 9. le. 23. 5. 6. ibid. l. 12. pro Ierusalem, le. Israël. ibid. l. 9. f. le. 2. 9. 10. p. 43. l. 10. f. le. extunc. p. 44. l. 4. le. 2. 10 p. 46. l. 5. f. le. 53. 11. p. 47. l. 10. le. Marc. 2. 5. p. 51. l. 14. le. 5. 21. p. 54. l. 14. le. dabit. p. 56. l. vltima le. 7. 38. p. 61. l. 5. f. le. eduxit. p 90. l. 9. le. parturiret p 95. l. 10. le. Marc. 3. 31. 32. p. 103. l. vltima. le. Mardochæus p. 110. l. 3. f. le acceßi. p. 121. l. 14. f. le. virga. p. 131. l. 10. le. quid te miſimus, p. 149. l. 4. le. Aſpiciebam, p. 163. l. 4. f. le. emundabit. p. 169. l. 9. f. le. iurisiuraudi. p. 176. l. vltima. le. Et per eum reconciliare omnia. p. 185. l. 14. le. emundabit. p. 209. l. 9. le & in ignem p. 215. l. 6. le. cuius ego non ſum. p. 228. l. 16. le. vidi. p. 229. l. 9 le. tantum. 28. 21. p. 238. l. 13. le. & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſsionem meam. p 239. l. 12. le. pararent. p. 241. l. 10 f. le. acceptione p 317. l. 4. le. ſuper me ora ſua. p. 328. l. 13 f. le. lachrymas. p. 332. l. 11. f. le. arbori. p. 336. l. 9. lege miniſterij. p. 338. l. 2. f. le. fomitem. p 358. l. 15. le. eis. p. 368. l. 2. le. eum. ibid. l. 3. lege eius. p. 396. l. 6. le. Mara. p 405. l. 3. f. le. liberabo. p. 417. l. vltima le. Cant. 2. 3 p. 454. l. 6. le. iurate. p. 461. l. 6. f. le. per. p. 487. l. 14. le. quæ locutus. pag. 509. l. 9. f. le. timebant. p. 531. l. 14. f. le. dilectus tuus. p. 575. li. 9. lege. Ibidem. De punctis & diſtinctionibus, & littera pro littera maiori vel minori poſita & de alijs diligens lector facilè iudicabit.

* * *


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Hom.
12°
66